DISSERTATIO JURIDICA
DE

JURE ARRESTI,

Quam
DIVINA ADSPIRANTE GRATIA,
CONSENSU & AUTORITATE
MAGNIFICI, NOBILISSIMI atque AMPLISSIMI
JCTORUM ORDINIS
In Illuſtri Academia Salana,
PRÆSIDE

DN. GEORGIO ADAMO

Struven/ JCto Conſummatiſſimo, Sereniſſ. Ducum Saxo-Vinarienſium Conſiliario intimo Eminentiſſimo, Facultatis Juridicæ Ordinario, Curiæ Provincialis, ut & Scabinatûs Adſeſſore Graviſſimo, Hæreditario in Wanzleben & Weningen, Jehna/
Dn. Patrono ac Promotore ſuo ſubmiſſâ animi obſervantia ætatem devenerando,
publicæ diſputationi ſubjicit
CHRISTOPH. Seyffart / Isleb. Sax.
horis locoque ſolitis, ad diem 12. Jan. A. 1675. habita,
nunc verò reviſa.

JENÆ, Typis JOHANNIS Nisl. ANNO M. DC. LXXVIII.

Biblioteca Nazionale

PRÆFAMEN.

AD elaborandam aliquam Diſſertatiunculam animum applicaturus, vix ac ne vix quidem de certo argumento conſentire poteram. Diverſæ nominum qualitates in diverſum etiam rapiebant animum: Hoc enim dicebatur nimis tritum, undè metuendum, ne tàm varia atque exaſciata, quæ extant ſcripta, exiguum meum laborem offuſcarent: Aliud rarius quidem, ſed aut nullam, aut exiguam ferè videbatur exhibiturum utilitatem, & hoc tædioſum potius, quàm jucundum afferebat genius. Aliud non raritatem ſolum præ ſe ferebat, verum etiam plurimum promittebat utilitatis: Sed altius rem perpendens, tenuitatem ingenii horum ſubtilitati inveniebam imparem. Incertus igitur, utrum eligerem, ad alienum confugi arbitrium, eique diſſidium hoc componendum detuli, acquievi, Arreſtorumque Thema in formam diſputationis redigere tentavi. Licet enim deterrere me poſſet, quod practica hæc materia, practicum quoque deſideret auctorem; Non tamen hoc vacillantem tàm retraxit, quàm animum excitavit, & certum reddidit; cum eò facilius, hoc in genere ſi ceſpitarem, & lectoris ſpei nō ſatisfacerem, ignoſcendum putaverim; juxta illud: *quòd omnium rerum habere memoriam, & in nullo peccare, ſit potius divinitatis, quàm humanitatis. Conſtit. Tanta ad Senatum & omnem populum* §.14. Feci

tandem, quod potui, nec in foro verſantibus hæc, ſed erudito in auditorio præſentibus exercitii gratia propoſui. Quare valeas B. L. & hæcce æqui bonique conſulas.

CAPUT I.

DE

DEFINITIONE TAM NOMINALI, QUAM REALI, ut & DE DIVISIONE.

§. I.

CUm Grammaticis non ſolum, verum etiam JCtis verborum Derivatio atque explicatio curæ ſit, ſatis ſuperque docentibus *l. 1. ff. & C. de V. S.* Rerum enim intelligentia à verborum intellectu depēdet, *Gell. l. 13. c. 10.* ex quorum notione inducimur in cognitionem rei *Donell ad rubr. de Condict. Tritic. n. 2. comment. 6.* Hinc etiam recte facturum me autumo, ſi, antequam ad ſubſtantialia perveniam, à nomine auſpicer, & quid circa illud extrinſecus occurrat, moneam.

§. 2. Arreſtum autem eſt vocabulum barbarum à Gallorum verbo Arreſter, quod ipſis eſt gradum ſiſtere, ortum, & ex latino ſermone, verbô nimirum Reſtare, corruptâ lingvâ transſumptum, teſte *Gail. de Arreſt. Imp. c. 1. n. 1.* derivatum, & inde eſt verbum Arreſtare, quod nihil aliud denotat, quàm impedire aliquem vel bona ſua per mandatum judicis, ne moveatur à loco, donec conquirenti reſpondeat, *Calepin. in ſuo Diction.* Et latinitate quâdam donatum omnibus ferè videri poteſt, propterea quod in foro & judiciis ubique in Germania receptum ſit. Alii appellatum volunt a græco verbo [illegible], quòd ſignificat incoruptum inviolatumque; Et hoc modo ſupremorum Tribunalium ſententiæ Arreſta vulgò dicuntur, fortè quod in ſupremis Curiis Sententiæ incorruptæ & juſtiſſimæ exeant, aut certè exire deberent, quæ inviolatæ manet, nullaque provocatione ſ. appellatione infringi aut ſuſpendi poſſunt

l. 1. ff. Quib. appell. non licet. Calvin. in Lexic. Jurid. Alii ἀπὸ τοῦ ἀρεστόν, quod ſignificat Placitum & decretum. Verum cum hæ duæ poſteriores derivationes ad inſtituti hujus rationem non pertineant, rectè me priorem appellationem arripere cenſeo.

§. 3 Sumitur Arreſtum, prout impedimentum ſignificat, (1.) generaliter, pro quâvis detentione ejus, qui in publicum aliquid ſolvere debet, uti detineri ſolent aurigæ, & reliqui, qui vectigalia non ſolvunt; quin imò tàm late ſumi poteſt, ut etiam Repreſſalia, & id genus quàm plura alia, ceu ſunt Pignoratio, retentio, Præceptum de non alienando, Annotatio bonorum, & ſimilia ſub ſuo contineat ambitu, ex quo & Pignorationes Imperii Arreſta dicta ſunt, ut extat *in Conſtit. D. Maximiliani II. de anno 1570.* in Comitiis Spirenſibus edita §. Wann auch die Arreſta ꝛc. quas tamen cum Arreſto nihil commune habere ipſe fatetur *Gail. de Arreſt. Imp. c. 1. n. 13.* (2.) Specialiter, & reſpectu habito ad debitum privatum pro detentione, quâ creditor, vel alius, cujus intereſt, rem vel perſonam debitoris publica detinendum curat auctoritate: nam ſi Arreſtum fiat de facto propriâq; autoritate, & ſine præviâ cauſæ cognitione, tunc omni jure Civili & Canonico prohibitum meritò eſt: quia non eſt ſingulis concedendũ, quod publicè per Magiſtratum debet fieri, ne occaſio detur majoris tumultus faciendi. *l. 176. pr. de R. J.* Vis enim etiam eſt tunc, quoties quis id, quod deberi ſibi putat, per judicium non repoſcit *l. 13 Quod met. cauſ.* Quibus adde, quod ab executione non ſit incipiendum *l. 1. C. de Execut. rei judic.* & nemo debeat eſſe judex in propriâ causâ contra *l. 10. ff. de Jurisdict.* Confer Nobiliſſ. *Beliz. ad Proceſſ. Cameral. quæſt. 1.* ibique *Dd. alleg. practic.*

§. 4. Variis prætereà inſignitur nominibus: vocatur enim *Impedimentum, Interdictum, jus ſiſtendi, detentio, injectio manuum, Saximentum,* Germanis Arreſt / Kummer / ita dictum a Curâ & ſollicitudine, quâ debitor de excogitandâ commodâ, Arreſto ſe liberandi, levandique viâ & ratione ſollicitus eſt. Item Zuſchlag / Verſtrickung / ex eo, quòd res ſeu perſonæ arreſtatione quaſi obſerantur & laqueis includantur, quoad creditori ſatisfactum fuerit. Item Geheiſſim / latine *præceptum de*

 commo-

commorando. Ex quibus verbum æquè barbaram *arreſtare*, quod non minus in Jurisprudentiâ noſtrâ receptum eſt, German. verarreſtiren/ anhalten/ beſchlagen/ bekümmern/ verſtricken/ in Verboht/ Gehorſam und verhafft legen Güter und Perſonen. Voſſ. *d. tit. ſerm. l. 3. c. 1. & l. 4. c. 1.*

§. 5. Notandum hîc obiter, quod *Arreſtum & Sequeſtrum* non eâdem gaudeant ſignificatione, nec unum pro alio uſurpari poſſit, cum indubitatum omninò ſit, hæc duo planè diſparata eſſe. Arreſtum enim eſt ſaltem impedimentum, ſequeſtrum verò eſt ſeparatio rei controverſæ penes tertium, qui ſequeſter vocatur. Illud eſt etiam rerum, quarum alias certa ſunt Dominia, Poſſeſſiones & cætera ad eas pertinentia. Hoc verò illarum, de quibus Controverſia eſt, aut in quibus Jus aliquod alter prætendit, & adjudicari petit. Illud non prærequirit citationem partis, ſed eâ plerumque inſciâ imponitur. *Coler. de Proc. Exec. p. 3. c. 11. n. 66.* Secus eſt in ſequeſtro, quod niſi citatâ parte, contra quam impetratur, non decernitur. Deinde differunt etiam ratione effectus: Sequeſtri enim effectus juris & debiti conſervationem reſpicit, ne ſc. res ſequeſtrata invertatur, nec ſtatu & loco ſuo moveatur. *Col. d. tract. p. 3. c. 2. n. 67. in med.* Arreſti autem effectus potiſſimus eſt, ut per illud Creditor hypothecam tacitam, ſeu pignus prætorium & ejus reale conſequatur, atque omnibus hypothecam vel arreſtum antiquius non habentibus præferatur *Col. d. Tract. p. 3. c. 11. num. 16.* Quam differentiam Arreſti & Sequeſtri, tanquam principalem & ab effectu deſumptam, notat diſertè Sereniſſ. Elector. Saxoniæ *in Ord. Proc. Jud. tit. 51. inpr. verſ.* Erſtlich.

§. 9. Eſt autem Arreſtum nihil aliud quam mandatum legis vel judicis, quo ex juſtâ causa prohibetur perſona extra Juriſdictionem Judicis arreſtantis ſecedere, vel res quascunque inde dimovere, niſi causâ cum eo compoſitâ, qui arreſtum impetravit. *Mev. in Tract. de Arreſt. c. 1. n. 12.* Notanter dixi ex juſtâ cauſa v. gr. (1.) ſi reus ſæpiſſimè requiſitus, ut ſe in judicio ſiſtat, copiam ſui ſubtrahit Judici, & ita contumaciter ipſius Juriſdictionem ſpernit, vel (2.) ſi forte ſit fugitivus. *arg. l. 10. §. 16. Quæ in fraud. Credit.* vel (3.) fugæ ſuſpectus *arg. l. 7. §. fin. ff. Qui ſatisd.*

ſatiſd. cog. vel (4.) vagabundus, quia, qui ubique habitat, nusquam habitat. *Gail. de Pignorat. obſerv. 1. n. 6.* vel (5.) Dilapidator & Prodigus rerum ſuarum *arg. l. 6. de dolo.* vel (6.) fraudator gabellarum *Col. de Proc. Execut. p. 1. c. 3. n. 74.*

§. 7 Arreſtorum *Diviſio* variat. Primò enim aliud eſt *Legis*, aliud *hominis*. *Legis* iterum vel juris communis, quô arreſtantur ii, quibus inde prohibitum eſt ex certo loco recedere, veluti judicibus tàm civilibus atque militaribus, eorumque domeſticis extra provinciam, quam tenuerunt intra quinquagint post finitam adminiſtrationem dies *l. 1. c. ut omnes* Judic. tam Civil. *l. 3. C. de Aſſeſſ. & domeſt.* (Quod tempus tamen hodie per ſtatuta quorundam locorum ad quindecim dies præter propter reſtringitur, ne ſc. officiarius depoſito officio vacui diu remaneant, & expenſis inſuportabilibus vexentur. *Frid. Mindan. de Proceſſ. l. 1. c. 47.*) vel Sacri Romani Imperii, de quo in *Receſſio Spirenſi de anno 1570. ſub Maximil. II. Imperatore* habito agitur; & de quo *Gail. in Tract. de Arreſt. Imp. & Petrus Fridericus in Proceſſ. Mandat. l. 1. c. 38.* ex profeſſo tractârunt. *Hominis* Areſtum dicitur, quod imponitur è judice, idque vel ex officio ejus nobili, veluti cum Reip. intereſt, detineri perſonas v. c. in debitis fiſcalibus, resve alicujus, vel ad petitionem eorum, quorum intereſt.

§. 8. Secundò ab objecto ita dividi poteſt, quod aliud ſit *ſimplex*, & aliud ſit *mixtum*. *Simplex* iterum vel *perſonale*, quô perſona, *reale*, quô res detinetur & ſiſtitur. *Mixtum* verò, quo perſona cum re ſiſtitur & detinetur, welches man re & corpore verarreſtiren nennet. Gravius vero incommodum eſt detentæ perſonæ, quàm rerum; igitur conſideratius verſari decet circa Impoſitionem, quæ aſtringit perſonas. Facilius conceditur arreſtum rerum quàm perſonarum, & ubi illud non poteſt concedi, multo minus perſonis id infligendum erit. Illud enim non tantam infert injuriam & ignominiam, ac ex hoc inferri videtur. *Col. d. Tract. p. 2. c. 3. n. 15.*

§. 9. Tertiò Arreſtum dividitur in *neceſſarium ſeu judiciale* & in *voluntarium* ſeu *conventionale*. *Illud* eſt, quod Judicis decreto interveniente decernitur. *Hoc* eſt, quod ex partium

conventione conceditur: ſcilicet, quâ ſe debitor in caſu moræ ſolutionis ad arreſtum obligat, quod & facere poteſt, cum etiam ad carceres quis ex causâ civili ſe efficaciter obligari poſſit. *Peck. de J. S. c. 5. n. 15.* Notandum vero, quòd Arreſtum Judiciale (teſte *Gail. de Arreſt. Imp. c. n. 7.*) regulariter prohibitum ſit per text. *in c. 2. de ſequeſtrat. poſſ. & fruct.* Secus eſt de Arreſto conventionali, quod de jure habetur licitum: Quia hujusmodi conventiones in pactum venire poſſunt. Pacta autem nihil turpe aut dolum continentia ſervari jubet *Prætor. l. 7. §. 7. ff. de Pact.* cum nihil humanæ fidei tàm congruum ſit, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, ſervare *l. 1. pr. de Pact.* Ita tamen, ut illud, ut omne aliud Arreſtum, requiratur mediante judicis officio, cum non valeat pactum, quod Creditor Debitorem propria auctoritate capere & abducere poſſit, ſi in termino non ſolverit *c. t. c. ne quis in ſuâ cauſâ judic.* cum quo coincidit in foro Saxon. & quidem Electorali *Conſtit. Elect. Auguſt. p. 2. art. 21. pr.* ibi: Jedoch daß dem Gläubiger das Anhalten oder Gehorſam legen nicht vor ſich allein geſtattet/ es were ſonſten privatus carcer. Sondern daß der Gläubiger/ vermittelſt des Richters/ oder der Obrigkeit Hülffe/ auff die vorhergehende Vereinigung Execution ſuchen ſoll. Niſi debitor fugitivus ſit, tunc eum Creditor propria autoritate capere, & judicio, ſub quo deprehenſus fuit, tradere poteſt. Auguſtus Elector *in d. Conſt. 21.* §. Aber wenn der Schuldner auf flüchtigen Füſſen iſt.

§. 10. Quartò Arreſtum judiciale ita ſubdividitur, *ut aliud ſit ex Jure communi conſuetudinario, aliud ex Jure provinciali conſuetudinario, & aliud denique ex Jure ſingulari ſeu privilegio. Illud* eſt, quod in terris Imperii longe conſvetudo introduxit, partim ex neceſſitate (cujus reſpectu nonnunquam à communium legum decretis recedimus *l. 10. §. 1. ff. Commun. divid.*) partim, etiam æquitas ex utilitate promanans (cujus causâ licitum eſt benigniorem in Leges interpretationem adhibere *l. 13. l. 8. ff. de LL.*) confirmavit. *Illud*, quod uſus in terris Saxonicis invexit. Unde & Arreſtum Saxonicum appellari ſolet, cujus vis & effectus, ſi ritè impetretur (quâ de re vid. doctrinaliter

Magnif.

Magnif. Dn. Struv. Ep. 26. th. 12. & Ex. 44. th. 54. in fin.) ab Arreſto juris noſtri communis conſvetudinario valdè diſtat. Vid. *Conſtitut. Elector. p. 1. conſt. 28. §.* Ferner ſollen. ibi: Und denn nechſt dieſen ſollen die Arreſtanten. item *Conſtit. 29. & 30. & p. 2 conſtit. 31.* Torgauiſch Ausſchreiben. *de Ann. 83. rubr.* von Arreſt/wie derſelbe zu verſtatten. *Hoc nimirum ex jure ſingulare eſt*, quod ex privilegio certæ univerſitati conceditur vel perſonæ. Univerſitati, quale illud eſt, quod ab Imperatore communitatibus aut civitatibus concedi ſolet, ut liceat eis in caſu moræ res debitorum ſuorum, etiam forenſium in illa civitate communicativè, quocunque tempore repertas & deprehenſas ſiſtere vel impedire; ceu tale Privilegium Francofurti haberi teſtatur *Andr. Gilm. tom. 2. Symph. Camer. in dec. part. 46.* Perſonæ verò, quando creditor aliquis privatus à Principe ad Magiſtratum inferiorem, judicem immediatum paratæ executionis, iſthoc in loco aliàs non receptæ mandatum impetrat, daß der Gläubiger Macht haben ſoll abſque litigii ſufflamine, ohne vorgehende Citation und Ladung per viam facti alsbald zu procediren/ tanquam omni viâ juris legitimâ peractâ.

§. 11. Denique Arreſtum aliud *Juris ſive licitum*, *aliud facti ſive illicitum* dicitur, *Gail. de Arreſt. Imper. num. 14.* *Juris* ſive licitum eſt, quod cum cauſæ cognitione fit, & ex neceſſariis requiſitis nihil prætermiſſum eſt, v. gr. quòd Creditor ſummariè fidem faciat Judici de ſuo debito, deinde oſtendat, aliquod periculum ſubeſſe, ut ſibi de conſequendo debito ita proſpicere debeat. *Facti ſive illicitum eſt*, quod fit propriâ autoritate ſine cauſæ cognitione. Atque hoc ipſo jure regulariter improbatur per ea, quæ in antecedenti probatum dedimus. Undè non ineleganter dubitatur: An Hoſpes peregrini apud ſe divertentis bona, donec ſibi pro cibo & potu ſatisfactum fuerit, poſſit detinere? Affirm. Cùm enim publicè interſit, hoſpitia habere pro peregrinantibus, in quæ de nocte vel interdiu divertant. *l. 1. pr. & l. 5. ff. Naut. caup. ſtab.* (quem titulum *Alciatus* nimis fervidè de tribus nebulonibus dixit *teſte Rittershuſ.* Addatur *Klock. de Ærario l. 2. c. 59. n. 7.*)

B Ideò

Ideò etiam eadem publica utilitas tradet, ipſi ſine morâ ſatisfieri pro Expenſis in uſum hoſpitio recepti factis, ne videlicet tædiô non receptæ ſolutionis affectus, alios deinceps advenientes non ſuſcipiat *Col.d.tract.p.1.c.2.n.250.& ſqq.* Huc faciunt verba *Dn. Habnii de Jur.rer. cap.6.n.2.* Hoſpes activus aut Caupo,ait,habet jus retinendi propria autoritate equos, currum,& alias res apud ſe divertentis, donec de ſolutione fuerit ſatis factum, adeoque turpius ejicitur, quàm non admittitur hoſpes. *vid. per arg. Text.in l.4.§.1.ff.in quib.cauſ.pign. tacit.contrah.* & cum privilegio prælationis *l.5.ſeq.ff. Qui.pot. in pign.*

CAPUT II.

De CAUSA EFFICIENTE.

§. I.

PRogredimur ad Cauſam Efficientem Arreſti,quæ eſt vel Remota,vel Propinqua. Remota eſt Jus Civile illud, quòd à Juſtiniano ſine ſcripto conſtare *§.3.Inſt.de J.N.G. & C.* ac vulgò Conſvetudo dicitur,utpotè quâ Jus arreſtandi à multis retrò ſeculis viridi in Germaniâ Judiciorum obſervatum fuit obſervantiâ. *Gail.de Arr.Imp.c.1.n.Col.d.Tract. p.c.3.n.47.* Ratio autem hujus conſuetudinis eſt generalis, ad evitandum ſumtus & expenſas,quæ fieri poſſent ad proſequendum debitorem alibi commorantem, nempe quod aliquando plus in perſecutionem ſolutionis debiti expenderetur,quàm valeret, & difficultas longinquum adeundi judicem de ſummâ modicâ quam præſtaret perdere, quam proſequi,actionem ſubvertit,meliusque eſt in tempore occurrere, quàm poſt receſſum rem perſequi *l.1 C. Quando loc. unic. ſine jud.* Sunt ergò Arreſta ita Conſuetudine contra rationem juris communis introducta,quæ exigit, ne Proceſſus ab executione (cujus ſpeciem Arreſtum eſſe probat *Gail. d. tract.*

c.1.

c.1.n.10.) incipiat *l. 58. ibique Gothofred. ff. de Re judic.* Sed à Citatione *§. fin. Inſt. de pœna tem. litig. junctâ l. 47. pr. ff. de Re judic.* Unde Arreſta ſunt remedium juris extraordinarium, cui non niſi in ſubſidium, deficiente ordinario auxilio, locus eſt *Mynſing. reſp. 66. num. 15. cent. 7.* adeoque ubi alio modo Creditori conſultum eſt, Arreſtum non decernitur, veluti ſi inhæret pignori, non devenitur ad Arreſtum Perſonæ *Col. d. Tract. p. 3. c. 5. num. 46.* niſi eveniat, ut ex pignore ſatisfieri nequeat. Hinc inter Dd. hæc nata eſt Regula, quòd Arreſta de Jure Communi prohibita ſint *Schurff. conſil. 3. & ſequ. cent. 8. itemque Saxon. per text.* Landr. *L. 2 art. 24. ibique Gloſſ.* Man ſoll keinen Mann ꝛc. Ex quo pariter intelligi licet, quod Areſta ſtrictè ſint accipienda ex ſuis terminis & formis conſvetudine permiſſis, quô nempe minus derogent juri communi, nec ad conſequentias trahantur *l. 14. de LL. l. 141. de R. J.* cum id, quod à jure communi exorbitat, odioſum ſit, adeoque reſtringendum, *arg. l. 19. ff. de Liber. & Poſth. &c.* & *Can. 15. de R. J. in 6.* Quæ itidem vel eam quoque ob cauſam odioſa dici poſſint, quod quis per ea fruitione libertatis ſuæ, quæ res inæſtimabilis eſt *l. 106. l. 122. l. 176. §. ult. de R. J.* vel in rebus, quarum alioquin quilibet liber moderator eſt atque arbiter *l. 21. C. Mandat.* vel perſona ipſa quaſi privetur ac denudetur contra *lib. 3. de Juſtit. & jure. & l. 7. in fin. de ſerv. export.* Id autem hic apprimè obſervabis, quòd, quando Arreſta de jure communi prohibita eſſe dicuntur, id de Arreſto neceſſario ſ. judiciali duntaxat intelligendum ſit, non verò voluntario ſeu conventionali, quod fulcrô pactorum, quæ Prætor ſervari jubet, *l. 7. §. 7. ff. de Pact.* ſubnititur, *Gail. de Arreſt. Imper. cap. 1. n. 7.*

§. 2. Propinqua eſt vel mediata vel immediata. Hæc eſt Judex, qui pro impetrando Arreſto eſt neceſſariò adeundus, quia Arreſtum eſt propriè Actus judiciarius, idemque & Juriſdictionis. Unde non licet creditori aut Actori propriâ Autoritate arreſtare perſonam vel res ſibi obligari, ne per alienæ poſſeſſionis invaſionem crimen violentiæ incurrat, *l. 13. ff. Quod met. cauſ.* Sed ſi Creditor debitorem per

 appa-

apparitorem vel officialem publicum velit detinere vel in perſona vel in rebus, tunc talis executor ante omnia debet docere de mandato judicis, oſtendendo ejus literas vel commiſſionem in ſcriptis alias impunè reſiſtitur. *Col. de Tract.p.2. c.1. n.2.* qui ſupponit hanc rationem, quòd nimirùm executio parata aliqualem cauſæ cognitionem deſiderat, an & quare proceſſus ſit inchoandus, à qua nuncius publicus abſtinere debet, quia merus executor eſt rei judicatæ vel inſtrumenti exequibilis vigorem ex præcepto judicis ad effectum perducit, *l. 8. C. de Execut. rei judic.* Aliquando tamen integrum eſt Creditori propria autoritate debitorem arreſtare *vid. exempla. prac. cap. 1. §. ult.* cui adde in ſimili unum & alterum v. gr. Si conventione ea licentia data ſit Creditori, ut privata poteſtate ex bonis debitoris ſolutionem quærat & ſumat, perinde enim habetur, ac ſi ipſe debitor rem tradat, *vid. fundament. l. pen. C. de pignorat. Act. l. 3. ff. eod.* quod explicat caſualiter *Dn. Struv. d. Ex. 26. th. 41. Arum. Diſput. Pand. 24. th.5. Col. d. Tract. p.1. c.5. n.94. & mult. ſeqq.* quem hic omnino conſule. Alter caſus eſt, ſi debitor de fuga ſuſpectus ſit, & judicis copia non ſtatim haberi queat, aliave ratione periculum in mora ſit *l. 10. §.16. ff. de his quæ in fraud. Credit. l. 54. C. de Decur.* Ex quibus Txx. concluditur, privatum debitorem fugitivum etiam capere & tamdiu retinere poſſe, donec Judici ſiſtat. Quod ita ob periculum moræ recipitur, ne, dum acceditur Judex, elabatur debitor *Gail.1. obſ.48. n.14.* ut autem debitor de fuga ſuſpectus dici poſſit, ſigna evidentia eſſe debent, quæ ſuſpicionem afferunt non vulgarem, ſed fide dignam, veluti ſi officina ejus præter morem conſvetum clauſa maneat. Si jam exercet ludos jure prohibitos, ſi ſub gravibus uſuris pecuniam accepit; ſi bona ſua mobilia teneat loco ſecreto, unde non facile auferri poſſent; ſi multis fidejuſſoribus ſe implicet; vel ſi quid aliud faciat, ex quo judex in credulitatem ſuſpicionis adduci poſſit. *Peck. de J.S. cap.16. n.2.* Si quis igitur auſus fuerit extra hos caſus, non implorato judicis auxilio, perſonam vel rem alienam propria autoritate detinere non tantùm perdere debitum,

tum, ſed etiam pœnis corporalibus afficiendum eſſe ſtatuit *ex Matth. de Affict. Peck. de J. S. c. 19. n. 2.*

§. 3. Sicut autem Creditori neceſſarius eſt Judicis conſenſus ad imponendum Debitori Arreſtum, ita & judex proprio motu Arreſtum concedere nequit, niſi fuerit poſtulatum, quia ad privatam partim utilitatem Judex non impertitur officium ſuum, niſi fuerit imploratum *arg. l. 4. §. 8. ff. de damn. infect. l. 68. ff. de Judic.* ne ipſi qui inter utramque perſonam Litigatorum (*ut ait Conſtantinus in l. 22. ad L. Corn. de Falſ.*) medius eſſe debet, ſe quodammodo partem conſtituere videatur, cum partim de Jure Creditoris, quod ex facto originem ducit, Judici non conſtet, partim ipſi divinare non liceat. *l. 31. in fin. ff. ad L. Aquil.* Adeò, ut ſi vel maximè Judici conſtaret de Jure Actionis ex Inſpectione Inſtrumenti, incertus tamen adhuc eſt, an petitor ordinaria via velit debitum ſuum proſequi, an verò ſummariam executionem urgere. Neque cuivis judicis arreſtandi poteſtas eſt, ſed requiritur primò, ut Imperium mixtum habeat. Nam quia Arreſtum eſt ſpecies executionis, non rectè imponitur ab eo, qui ſimplicem ſine Imperio Jurisdictionem habet. Mixti Imperii iſtam eſſe diſce ab exemplo Miſſionis in bonorum poſſeſſionem *l. 3. ff. de Jurisd.* cui alias æquiparatur. *Huc facit quod Gail. 1. Obſ. 48. num. 13.* ſcribit; *Realem citationem, cui etiam Arreſtum aſſimilatur, non niſi à majoribus Judicibus habentibus ſaltem mixtum Imperium, & ordinariam jurisdictionem, fieri.* Secundò, ut ſit competens, qui hic non is tantum dicendus eſt, cujus Jurisdictione quis ſuppoſitus eſt, aut ratione domicilii aut contractus aut delicti, aut rei ſitæ *cap. fin. 20. extr. de for. compet.* Sed quilibet Magiſtratus, qui debitorem fugæ ratione ſuſpectum intra territorii ſui limites & fines detinendum curat, licet alioquin incompetens ſit *arg. l. 1. C. ubi quis de Curial. vel cohort. aliâve Condit. conven.* Cum hic incompetentia propter neceſſitatem & æquitatem, quæ pro creditore militat, attendenda nulla ſit, prout eleganter hanc ad rem ait *Joh. Emeric. à Roſſ. prax. civil. t. 27. de Arreſt. n. 17. & ſequ.* quia tales ſecundum Dd. ubivis forum ſortiuntur, ut-

cunque locorum inveniantur N. O. *l. fin. ff. de jurisdict.* Reſp. cùm neceſſitas non habeat legem juxta vulgata jura, ideò in fugitivo ſive vagabundo h.l. eſt exceptio à Regulâ, cum is totum mundum forum habeat, & nullibi de incompetentia fori excipere poſſit, ſed ubi is invenitur, ibi etiam judicari debeat *Mev. de Arreſt. c. 5. n. 15.* Quô etiam fine hodie ab Imperatore diplomata, quas literas *patentes* vocant, offene Patent oder Käiſerliche Befehl/ contra ejusmodi fugitivos concedi ſolent, ut ubivis locorum in Imperio deprehenſi citra ullam exceptionem arreſtentur, daſſ ſie auff Recht allenthalben im Römiſchen Reich angehalten werden mögen. Quod ipſum tamen ſimpliciter non eſt accipiendum, ſed adhibitâ diſtinctione: Aut enim Arreſta à privatis perſonis interponuntur, & tum ad Judicis ordinarii cognitionem ſpectant: Aut ab ordinibus Imperii invicem committuntur; & tùm immediatè ad Jurisdictionem Cameræ Imperialis pertinent, remotô privilegiô primarum Inſtantiarum, ratio eſt, ut publica tranquillitas in Imperio, & mutua animorum conjunctio atque concordia inter ſtatus conſervetur *Receſſ. Imper. de anno 1570. §.* Wenn auch die Arreſta *Gail. de Arreſt. Imp. c. 1. num. 12.* In terris Saxonicis aliàs eſt judex inferior, der die Erbgerichte hat non ſuperior, niſi hic illi Jurisdictionem cumulative conceſſerit, ubi in arbitrio Creditoris poſitum erit, vel hunc vel illum adire. *Col. d. Tract. pr. c. 1. num. 147.*

§. 4. Inprimis vero hîc Judex obſervet, quòd in imponendo Arreſto ſit providus, ne indiſtinctè & ad quamvis creditorum petitionem illud concedat, ſed prius ſummariâ inquiſitione ſecum diſcutere debet, an iſti ſine injuria locus. Ubi attendendum eſt, quod prudentiſſimè *Gail. de Arreſt. Imp. c. 1. n. 11. monet his verbis: Periti judices non debent præcipitare Arreſta ſua, & præproperè ad nudam petitionem cujuslibet illa indiſcretè decernere & promittere,* das Kummer Rechte nicht alſobald und unbedächtlich verſtatten/ *ſed prius ſaltem cauſam ſummariè examinare &c.* Simile eſt monitum *Carpzovii Reſponſ. Elector. 38. n. 1. & 2. lib. 4. ſic. ſcribentis: Cùm remedio Ar-*

reſti

reſti ſubveniatur Creditoribus de Jure Saxonico, contra Jus civile, quò debitor prius legitimè convinci, ac poſtea demum ad ſolutionem pulſari debet, nullo ab executione proceſſu inchoando, non certe nimis ad Arreſtum erit properandum. Creditores ſane circa petitionem Arreſti contra debitorem nunquam non faciliores, quàm par eſt, reperiuntur, ſed Judicis officio incumbit, malo huic prudenter occurrere, & ante conceſſionem Arreſti ſingulas quasque circumſtantias benè ponderare, an cauſa Arreſti ſufficiens exiſtat, annon, ne ex temerario ejus indultu debitor fama periclitetur. Hinc etſi vel ſtatuto aut generali conſuetudine arreſtandi licentia fiat, ea tamen cum temperamento rationis intelligenda eſt, ut non ſit vaga atque indiſcreta, atque imperitorum Judicum affectioni, & turpi lucro cum ignominiâ alterius ſubjecta. *Gail. d. c. 1. num. 12.* Quare Judici ſequentia, ceu ad Arreſtum maximè neceſſaria requiſita erunt obſervanda: (1.) An ipſi ſit arreſtandi poteſtas. (2.) Quæ cauſa petendi Arreſtum, an ſatis prægnans, an verò ſaltem per calumniam & de induſtria petatur? (3.) Qualis ſit perſona petens? (4.) Qualis perſona aut res arreſtanda? (5.) Quid debitum, ob quod arreſtatio fieri debeat? (6.) An juſto tempore? (7.) An juſto loco imponendum? (8.) An ritè petatur? Singulas circumſtantias providus & circumſpectus Judex in concedendis Arreſtis diligenter conſiderare debet. *Gail. de Arreſt. Imp. d. c. 1. n. 1. in fin.*

§. 5.Ptætereà quoque Judex, ne fortè circa hanc rem damnum incurrat (non ſolum cum exactio Impenſarum, reſtitutio damni, ſed & actio injuriarum contra ipſum locum habet, ſi injuſtum conceſſerit Arreſtum) caute facit, ſi Arreſtum permittat cum clauſula: *In quantum de Jure* & ſimul cautionem recipiat de indemnè ſervando Tribunal & refundendo expenſas cum omni intereſſe in caſu ſuccumbentiæ *Col. d. Tract. p. 2. c. 2. n. 116. & p. 2. c. 3. n. 40.* quam cautionem etiam Creditor præſtare tenetur, aut ipſi Arreſtum non decernitur. Niſi Arreſtans forenſis & pauper ſit, ut ejusmodi cautionem præſtare vel fidejuſſores habere non poſſit, tunc enim ad juratoriam admittitur cautionem. Ac quantum-

vis

viſ ejuſmodi cautelæ interdum abundent, nec videantur neceſſariæ eſſe, nocere tamen non poſſunt, & ſecurius ſemper eſt judici ſuperfluum admittere, quàm neceſſarium omittere *per l. 94. ff. de R. J. Col. dict. Tractat. p. 1. c. 2. n. 201.*

§. 6. Atque Arreſtô ita decreto exequitur poſtmodum illud Judex regulariter, & ex communi judiciorum obſervantia per apparitorem ſuum ſeu nuncium juratum *arg. l. 5. C. de Exact. Tribut. lib. X. lib. 1. C. de ſportul.* qui mandato & præceptione judicis debet eſſe inſtructus; cujus relatio per actuarium ad acta poni debet, ut ſit pars actorum, & de legitimè facta Executione appareat, *Mynſing. 1. obſ. 71. Gail. lib. 1. Obſerv. 57.* Propriô quoque apparitore neglectô aut omiſsô, alteri privato vel ipſi etiam creditori eâ de re mandatum dare poteſt Judex, *Peck. de J. S. c. 20. num. 1.* præſertim cum hic non tàm factum denunciantis, quàm mandantis conſiderandum veniat, ſiquidem ſola autoritas judicis cauſam juſtam facit *arg. l. 11. ff. de acquir. poſſ. ff.* Plura de apparitore qui optat, adeat *citat. Peck. de J. S. à c. 19. usque ad cap. 28.* pluribus tractantem.

§. 7. Sequitur Cauſa Effic. Propinqua mediata, quæ eſt Creditor, qui mediate agit per judicem. Creditor autem non is tantum accipitur, qui pecuniam credidit, ſed omnis, cui ex qualibet cauſa debetur *l. 11. ff. de V. S.* Ex delicto etiam *l. 12. ff. d. t.* ſive ei pure debeatur, ſive in diem, ſive ſub conditione *l. 10. ff. d. t.* de quo tamen is prius judicem veriſimiliter docere debet, quàm decernatur Arreſtum, vel per oſtenſionem inſtrumenti obligationis, vel per teſtes, ſi fortè ſyngrapha ad manus non adſit, vel denique alia aliqua legitima & ſummaria probatione, per quàm Judex quadantenus credere poteſt, verum eſſe id, quod aſſeritur. Id quod publica autoritate confirmavit *D. Auguſtus Elector in Reſcripto Torgavienſi de anno 1583. tit.* von Arreſten / wie dieſelbige zu geſtatten. ibi: durch Uhrkunden oder andern gläublichen Schein / & denuò repetit *Sereniſſimus Elector Johann. Georg.* in der Proceß⸗oder Gerichts⸗Ordnung. *cap. 52.* von Arreſt und Kummer. *pr. p. 152. verſ.* Dieweil aber gleichwohl.

wohl. Quamvis tamen, ſi periculum in mora ſit, confirmationem etiam per juramentum ſufficere affirmet *Peckius per ea, quæ habet cap.16 de J.S. n. 4.* ne ſi aliæ probationes interea requirantur, quæ ſæpe numero in manibus non ſunt, debitor ſe in fugam conferat.

§. 8. Arreſtare autem poteſt non tantum Creditor, ſed & alius, qui jure in ipſius collocatus eſt locum, ut ſunt Hæres & Ceſſionarius. Nam in hunc, quia omnis translata eſt actio, recte is juris interpretatione primum repræſentare creditur Creditorem *l. 22. C. Mandat. l. 2. C. de Donat.* prout & expreſſe Creditor dicitur *in l. 23. C. Mandat.* Atque ſtatutum loquens de Creditore comprehendit etiam ceſſionarium, *Mev. d. tract. c. 6. n. 9.* niſi diverſa ſtatuentium mens, aut diſparata ſtatuti ratio ceſſionem non admittens, aliter exigat. Neque neceſſe habet ceſſionarius, ſi arreſtô frui velit, ut ex perſona & nomine cedentis eadem petat, idque in petitione exprimat, habetur enim pro Creditore, quia in omne jus cedentis ſuccedit & utiles actiones, quas ſuo nomine exercet, tantum præſtant atque directæ, cùm in effectu conveniant. Id verò requiritur ad impetrandum arreſtum, ut doceatur ceſſio, ejusque titulus, ita, ut judex, niſi eô prævio, in perſonas aut res decernere non debeat. Ulterius & hoc requiritur, ut antea denunciet Ceſſionarius debitori ceſſionem ſibi factam, quò ſciat, cui ſolvere debeat, cùm nihil propter ignorantiam imputari queat non ſolventi. Huc meritò etiam à *Peckio dicto cap. 3. n. 7.* refertur lator ſive exhibitor ſcripturarum obligatoriarum, quem vulgo **Brieffs-Innhaber** appellamus, juxta illam vulgatam Theoricam; *Qui vult conſequens, vult etiam antecedens arg. §. 2. Inſt. Qui & ex quib. cauſ. manumitt. l. 2. ff. de Jurisd. l. 56. l. 62. ff. de Procurat.* Sed debitor in Chirographo confeſſato vult conſeqnens h. e. ſolutionem; Ergò etiam debet velle antecedens, id eſt Arreſtum, per quod eventualiter ad ſolutionem judicium præparatur? dummodo meminerimus, quod utique prius de juſto poſſeſſionis titulô debeat conſtare. Nam quemadmodũ de Jure communi in ceſſione nominis requiritur titulus ſive

juſta cauſa ad translationem Dominii ſufficiens *d. l.finali C. Mandat.* ita etiam literæ ſive nomina hujusmodi virtute ejus clauſulæ, quâ debitor latori ſive exhibitori literarum ſolvere promittit, non acquiruntur accipienti, niſi ex juſta poſſeſſionis cauſa ſive titulô *Beſold.in Theſaur.pract.verb* Innhabern des Brieffs/unde eſt, quod plerumque in Inſtrumenti addi ſolet: **getreuer oder wiſſentlicher Innhaber des Brieffs.**

§. 9. Ad hæredem autem quod attinet, cum hic ejusdem ſit poteſtatis & juris, cujus defunctus fuit, *l.59. de R.J.* utique & ei omne id debebitur, quod defuncto debebatur, adeoque & arreſtandi dabitur poteſtas & licentia, qui etiam tùm arreſtare poteſt, quantumvis intra tempus conſcribendi inventarii exiſtat; eo, quod is tunc non prohibeatur convenire debitores hæreditarios, ſed ab iisdem conveniri *l. 22. §. 11. C. de Jur. deliber. Peck. d. 3. n. 11. verſ. ſed quia Hæres.* Quin imò etiamſi ex Inſtrumento agendum foret, quod nominato creditore, nominatus & eſſe credatur ejus hæres. Id vero in petitione opus eſt, ut titulū ſuum doceat, & veriſimiliter demonſtret; quod ipſum facere poteſt, imploratô teſtimoniô ſui Magiſtratus, qui fateatur ipſum fuiſſe hæredem Creditoris, vel in totum vel pro parte, aſſignatis videlicet rationibus ſuorum teſtimoniorum. Debet enim iſta legitimatio actoris notoria eſſe, ut procedatur ad paratam executionem. Quam ſi teſtibus demum docere velit, petitor ad ordinarium proceſſum remittetur, cum abſque libello & litis conteſtatione, teſtes non recipiantur, *Col. d. Tract. p. 2. c. 2. num. 24.* & ſic regula noſtra eſt univerſalis, quòd Arreſtum etiam ad hæredes tranſeat, niſi fuerit reſtrictum per particulam taxativam ad ſolum Creditorem. Cujus taxativæ affirmativè poſitæ natura eſt aſſervare illud quod ponit, & econtra excludere omnes alias perſonas, & alios caſus præter expreſſos, *Everh. in loc. à not. diction. taxativarum n. 2.*

§. 10. Eadem ratio circa Arreſtorum jus eſt fidejuſſoris, qui quoque modo Creditori ſatisfecit. Quando enim is redemit ſuâ fide aut pecuniâ obligationem debitoris principa-

cipalis, eódem jure fruitur contra debitorem principalem, pro quo ſolvit, & actione contrariâ Mandati repetere poteſt id, quod ſolutum eſt. *§. 6. Inſtit. de Fidejuſſ. l. 10. §. 1. l. 3. ff. Mandat.* Nec eget ceſſione contra debitorem, nec prærequiritur, ut fidejuſſor ſe conventum ab alio denunciet debitori; ſed ipſa executio fieri poteſt, quamvis non prævia iſta denunciatio exiſtat. Non tantum verò cum ſolvit, fidejuſſori Arreſtum conceditur, ſed etiam, ſi eò res ſit deducta, quod ſtatim ſolutio facienda, veluti ſi vel jam condemnatus ſit vel mox condemnandus *Mev. cit. l. n. 16.* Imo ſi in reo principali fugæ vel dilapidationis ſuſpicio ſubeſſe cœperit, is arreſtare eum poterit, licet nondum exſolverit *arg. l. 45. in fin. ibi. Sed ex juſta cauſa Fidejuſſor.* Eadem licentia arreſtandi patet Fidejuſſori contra Fidejuſſorem, in quantum ille tenetur ad refundendum id, quod ſolutum eſt. *Col. d. tract. p. 2. c. 2. n. 11. & multis ſeq.* Haud tamen ſine ceſſione eô remediô uti poteſt, cum citra illam contra Confidejuſſorem nullam actionem habet. *Mev. cit. loc.*

§. 11. Arreſtare autem poteſt Creditor non tantùm per ſe, ſed etiam per Procuratorem ſuum *l. 1. §. 2. & t. t. ff. de Procurat.* cui tamen ſpeciali opus erit mandatô *Carpzov. l. 4. Reſponſ. Jur. Elector. Tit. V. Reſponſ. 36. n. 2.* Nec ſufficit ſi ſimpliciter ad exigendum debitorem fuerit conſtitutus; præſertim cum abſque ſpeciali mandato Procurator non admittatur ad faciendum ea, per quæ Dominus incidere in pœnam poteſt. *per text. in l. 3. §. 1. ff. Quod quisque Jur. in alt. ſtat.* quod toties in arreſtatione contingere poteſt, quoties quis per eum à Procuratore injuſte detentus fuerit. Deinde requiritur tale mandatum, quando agitur de cauſa arduâ, gravi præjudicio afficiente perſonam *l. 38. §. fin. ff. de Procurat.* quale ex Arreſtis naſcitur, quæ licet juſta, ſugillant tamen Arreſtati opinionem & fidem commercii, man wird nicht wenig um ſeinen Credit gebracht. *ſive uti loquitur Ordinatio Proceſſus Elector. Saxon. Tit. 51. verb.* und wohlhabende Leute dadurch in Verdacht und Mißglauben geſetzt werden. Imò cauſa executiva, qualis eſt Arreſtatio, ſemper deſiderat ſpe-

ciale mandatum. Deficiente itaque mandatô ſpeciali, Arreſtum a mandatario impetratum jure non ſubſiſtit; quod præjudiciò confirmat *Carpzov. in Reſponſ. Elector. cit. loc. n. 5. cui jung. Berlich p. 1. concluſ. practic. 50. n. 8. Harpr. ad §. 1. Inſt. de iis per quos agere poſſum.* Diſſentient. Argumenta ad publica disputantium ſubſellia reſervabimus, maximè, cùm ex jam dictis reapſe corruant, ita ut non indigeant ulteriori reſolutione. Malè enim hoc modo contra nos infertur: Tantum operatur mandatum generale quoad genus, quantum ſpeciale quoad ſpeciem *arg. l. 1. §. 1. ff. Quod juſſ.* Ergò ſub mandato generali etiam jus Arreſti comprehenditur. Reſp. Neg. Conſeqv. *arg. l. 1. pr. ff. de offic. ejus, cui mandat. eſt Juriſdict.* Quis enim hìc non videt magnum debitoris ex Arreſto præjudicium, undè ſpeciali principalis voluntate eſt opus, expreſſa enim nocent, nec expreſſa non nocent *l. 195. de R. J.*

§. 12. Porrò loco Creditoris arreſtare poteſt (I.) Perſona conjuncta, quæ & agere poteſt ſine mandato, Ergo & arreſtare, cùm hîc major ſubſit ratio propter moræ periculum: dummodo de rato ſatisdet *l. 35. ff. de Procurat. Peck. d. c. 3. n. 10.* Non tamen indiſtinctè hoc admittendum erit, ſed ita demum cautè procedit Judex, ſi jubeat oſtendi arreſtandi neceſſitatem, qua commotus, conjunctus accedit ad hanc petitionem, ut veriſimile ſit, cujus nomine agitur, certo ratum id habiturum, deque eo ſufficienter caveatur. (II.) Socius, nam quod ſocii agunt, in commune agere videntur, communi utilitate flagitante *l. 44. §. 1. ff. de ædilit. edict. Peck. d. c. 3. num. 9.* Ideoq; ex tacito mandato ſemper agunt, nempe in iis (ſecus in cœteris) quæ ad contractum ſocietatis ejusque commoda vel damna pertinent *l. 24. l. 29. pr. ff. pro Socio.* (III) Conſors litis, quia & hic pro conſorte agere & excipere poteſt *l. 2. C. de Conſort. ejusd. lit.* Sed hoc reſtringitur, ut verum ſit, dummodo aliàs habilis ſit ad agendum, quia conſortium non poteſt duos ſupplere defectus, videl. defectum mandati & defectum perſonæ, cùm duo ſpecialia concurrere non poſſint *l. 1. C. de Dot. promiſſ. Peck. d. c. 3. n. 8.*

§. 13. Arreſtare quoque poſſunt tutores, curatores, Præla-

Prælati eccleſiarum & communitatum, oeconomi hoſpitarii & ſimiles, qui quoad adminiſtrandi poteſtatem Dominorum locô habentur *l. 56. §. 4. ff. de furt.* Ideoque quoties expedit pro his, quorum jura tueri debent, arreſta quæri, non minus, quàm quorum commodis præſunt, & quorum perſonam repræſentant, ſi ipſi habiles eſſent ad ea impetranda, admitti debent *Mev. d. Tract. c. 7. num. 21.*

Caput III.

De MATERIA ARRESTI.

§. I.

PErtractata cauſa Efficiente, explicanda erit materia, quæ eſt, vel in qua, vel circa quam. Materia in qua, ſive ſubjectum, eſt debitor quivis, ſive purè ſive in diem vel ſub conditione debeat; ad hunc nimirùm effectum, ut caveat de ſolvendo, ſi dies vel conditio extiterit, *arg. l. 41. ff. de Judic. & l. 14. pr. ff. de Pig. & Hypoth.* ſive ad dandum ſive ad faciendum obligatus fuerit, *Peck. de J. S c. 4. n. 7.* Tàm Clericus quàm Laicus, ita tamen, ut arreſtatio iſtius fiat in foro eccleſiaſtico. In his enim, quæ pertinent ad proceſſum, non minus in Clericis, quàm in laicis obtinent *cap. 3. ibi cum ſecundum jus tantum vellent procedere extr. de eo qui mitt. in poſſeſſ.* maximoperè, cùm ejusmodi ſtatutum vel conſvetudo nihil turpitudinis habeat, pertineatque ad abbreviandas lites bono publico, hinc etiam à Clericis ſervari convenit. Igitur Clerici regulariter à ſecularium jurisdictione exempti ſunt, cum nec coram iis conveniri poſſint. *Gail. 2. Obſ. 37. n. 1.* Etſi vel pacto eam poteſtatem tribuerint *Col. d. tract. pr. c. 3. n. 160.* quia iſtis permiſſum non eſt, Jurisdictionem judicis laici tacitè vel expreſsè prorogare absque conſenſu ſuperioris, eò quod fori privilegium, quô gaudent, non ſit perſonale, ſed toti ordini publicè indultum *cap. ſi diligenti §. fin. de For. com-*

pet.Gail.1.obſ.40. n. 7. ne ſubeundo Tribunal laicorum ſecularibus negotiis immiſceantur, atque à divinis abſtrahantur officiis *l. 31. C. de Loc. Cond. Col. de tract. p. 1. c. 6. n. 94.* cum tanquam juri publico pactis privatorum non derogatur, *l. 38. ff. de pact.* Excipiuntur tres caſus, quibus arreſtatio eorum permiſſa judice ſeculari, nempe (1.) quando fugitivi, aut de fuga plane ſuſpecti ſunt, ut tamen remittantur ad judicem competentem *Mev. d. tract. c. 7. num. 91.* (2.) Si judicis eccleſiaſtici copia haberi non poſſit, & periculum in morâ ſit, ut tamen & tunc arreſtatus tradatur judici eccleſiaſtico. *Peck. d. c. 4. n. 14. circ fin.* (3.) Si longa conſvetudo, vel ſingularia privilegia Magiſtratui ſeculari, poteſtatem judicandi & arreſtandi eccleſiaſticas perſonas conceſſêre. Cæterum hodiè ſuſpensâ jurisdictione eccleſiaſticâ in noſtris terris Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibus, Ducatibus, nec non diœceſibus eccleſiaſticis, hodie in ſeculares mutatis, **in den ſeculariſirten Stiftern**: iis, qui jus conſiſtorii eccleſiaſtici exercent, judicium in Clericos denegari non debet, & per conſequens etiam arreſtandi poteſtas: **R. A.** *de anno 1555.* §. **damit auch obberührte beyderſeits Religions-Verwandten** *verb.* **die geiſtliche** Jurisdiction **ruhen eingeſtellet und** ſuſpendiret **ſeyn.** *p. 428.* Aliud autem ſtatuendum eſt de bonis Clericorum, quæ non gaudent eôdem privilegiô, quô perſonæ. Iſta Arreſtis ſunt obnoxia ob Contractus initos in foro alieno. Talia ſunt frumenta cœteraque merces, quæ venales ab iis exponi ſolent, & ſi pretia ad ſui ſuſtentationem convertunt. Non enim iis clericaliter, ſed more mercatorum verſantur. *Mev. d. c. n. 93. & ſeqq.*

§. 2. Et nihil refert, etiamſi conſtet, debitorem illum propter manifeſtam inopiam ſolvere non poſſe, cùm & ex operibus ſuis & mercede diurnâ, deductis tamen prius alimentis, tantum corradere poſſit, ut creditori ſatisfaciat, aut, ſi bonis cedere non velit, vel non poſſit, ſi ſcilicet nequitia, profuſione culpave ſua in paupertatē inciderit dolove malo, cum, ſe ſolvendo nō eſſe ſciret, contraxerit. creditori liberaliter moreq; aliorum inſerviat, *Peck. d. c. 4. n. 2.* Ac quamvis hoc de Jure

Civi-

Civili alioquin obſcurum & ambiguum ſit propter *l. 12. C. de O. & A.* qua Imperat. Dioclet. & Maximil. generaliter prohibuerunt, ne liberi homines ob æs alienum Creditoribus ſervire compellerentur, id tamen de Jure Saxonico nihil habet dubii *propter text. expreſſ. in artic. 39. L. 3.* LandR. *ubi dicitur*: Wer da Schuld fordert vor Gericht auf einen Mañ/ der nicht gelten mag/ noch Bürgen ſetzen/ der Richter ſoll ihm den Mann ausantworten/ für das Geld/ den ſoll er halten gleich ſeinem Eingeſinde mit Speiſe und mit Arbeit, *Et text. in Artic. 27.* Wird aber ein Mann üm Schuld beklaget ꝛc. Quod adeo verùm eſt, ut etiam omne Ceſſionis beneficium excludatur, und kan nicht deſtoweniger der Schuldner/ qui bonis ceſſit, dem Gläubiger an die Hand gegeben werden. Sicuti ita quotidie Lipſienſ. pronunciaſſe teſtatur *Modeſtin. Piſtor. pr. proc. Jur. c. 83. num. 4.* Tandem tamen hanc juris Saxonici diſpoſitionem D. Auguſtus Elector Novellarum ſuarum *p. 2. conſtit. 22. §.* Und nach dem wir penitus ſuſtulit, & e diverſo debitores pro debitis carcere publico (Schuldthurm) includi debere ſancivit; qui tamen locus non eſt ſubterraneus & opacus, ut hominum noxiorum, nec tendit ad pœnam vel pœnitentiam; ſed eô tantum imponitur fine (ex quo quoque à Dd. vulgò *Carcer tedialis* vocari ſolet. *Speckb. cent. 1. qu. 19. in fin.*) ut tantiſper reus in loco illo pro carcere deputato hæret, donec Creditori ſatisfaciat & multis in urbibus, ut Pragæ, Norібergæ, & aliis, ubi florent mercaturæ, uſitatus eſt: Et alitur iſte debitor quibusdam in locis à creditoribus vel magiſtratu, alibi verò ex Eleemoſynis tranſeuntium, quos miſerrimô ululatu implorant. Prædicta tamen non procedunt, ſi debitor probare poteſt, ipſius inopiam creditori fuiſſe perſpectam, cùm præſumatur, quòd ſciens volens cum ſuſpecto & inope contraxerit, ejusque inopiam approbaverit, *l. 10. ff. Qui ſatisd. cog.* Ideoque arreſtum impetrare nequit, aut ſi impetravit relaxari patietur. *Gail. 2. Obſ. 44. num. 5.*

§. 3. Nec debitor tantùm arreſtabitur ipſe, ſed & alius, cujus fidem creditor ſecutus eſſe videtur, ut eſt (1.) hæres,

quippe

quippe qui una eademque cum defuncto perſona eſt *l. 59. ff. d. R. J. l. 24. d. V. S.* eidemque cum ſuo commodo & incommodo ſuccedit *l. 11. C. de acquir. poſſeſſ. l. 10. d. R. J.* & quia adeundo hæreditatem, cum debitoribus hæreditariis quaſi contrahit, & ſic debitor quaſi conſtituitur *§. 5. de Oblig. quæ q. ex contr. naſc.* cum etiam ille debitor ſit, à quo invito debitum exigitur *l. debitorem ff. de V. S.* qualem hæredem eſſe conſtat, cum ex perſona ejus qualitas & natura debiti nequaquam alteretur *l. 2. § 2. ff. de V. O.* Sed ad quod compelli poterat defunctus, ad idem Jure compellitur hæres *l. 44. ff. ad SCtum. Trebell.* Ergo & idem arreſtandi juri ſubjacebit: Non attentô, quod hæredis in inſtrumento nulla facta fuerit mentio: Nec enim iſtis ea exceptio competit, ſe in inſtrumento non nominatos, quia ipſorum obligatio ſemper virtualiter in inſtrumento continetur, *Peck. d. c. 4. n. 10.* niſi vel tenor obligationis expreſſe aliter ſonat, vel ſtatutum facit obligationes perſonales, in quibus hæredum non eſt expreſſa mentio. Niſi hæres intra tempus conficiendi inventarii exiſtat, quô a Creditoribus inquietari non debet *l. 22. §. 11. C. de J. delib. Peck. d. loco.*

§. 4. II. Civis; ubi ſe Civitas ſuaque & ſuorum bona, ſicut fieri ſolet ſolenniter & cum conſenſu civium omnium, aut majoris ſaltem partis obligavit per *l. fin. verſ. in provinciis ibi: ſigillatim unumquemque eorum C. de vendend. reb. civit. Lib. XI.* cui per argum. ſubſcribit Sereniſſimus Elector. Saxon. *q. 1. conſt. 20. in verb.* Welche entweder nicht ſelbſt contrahiret / oder ihre Bewilligung beſtändig und freywillig nicht geben. Alias enim grave eſt, & non ſolum legibus, verum etiam æquitati naturali contrarium, pro alienis debitis alias perſonas, vel aliorum in bona moleſtari *per text. expreſſ. in l. unic. C. ut nullus Ex vicaneis. Lib. XI. l. 12. ibi: nullum poſſeſſorem neque prædium C. de omni agro deſerto Lib. XI. l. 4. ibi: pro alienis debitis publicis vel privatis C. de Execut. & Exact. Lib. XI. Novell. 52. cap. 1. ibi: nullam omnino pignorationem, neq; in civilibus &c.* ubi ſubjicit Imperat. quod non habeat rationem ut alius ſit debitor, alius autem pro eo exigatur. *Add. Conſt. Elect. 3. q. 1. ibi:* Wann

ſie

ſie gleich der obligirten Perſon unterthan. Qui tamen, ſi quidpropterea præſtitit, aut damni quod fecit, ejus æſtimationem ac refuſionem à civitate recuperabit. Quid & idem de eo ſtatuendum, ſentiendumque erit cive, qui domicilium ſuum mutavit, & alio transtulit. Nam quamvis in eo ipſo, quod emigravit, onere prioris Civitatis ſolutus liberatusque omninò ſit, quia tamen cauſa debiti tum cœpit, quando civis erat, ipſe haud dubiè tenebitur *arg. l. 7. ff. de Judic. & cap. 19. extr. de foro compet.* ut & is, qui tempore contractûs civis non fuit, ſed poſteà Civis eſſe cœpit, cùm & noviter veniens ad habitandum, ad collectam teneatur. *Vid. Peck. d. c. 4. n. 17.*

§. 5. III. Fidejuſſor, tanquam qui rei principalis obtinet locum *lib. 4. §. 1. ff. de Fidejuſſ.* eò, quòd ipſius fidem ſequatur creditor *pr. Inſt. de Fidejuſſ.* hic enim voce debitoris continetur *l. 91. §. 4. in fin. ff. de V. O. l. 29. de recept. arbit.* Ergò, ut ipſi debitores, ita & fidejuſſores, ſi antè diem ſuſpecti vel fugitivi exiſtant, arreſtari poſſunt. Integrum tamen ipſi eſt ſuas allegare exceptiones, tàm contra arreſtum, quàm contra petitiones arreſtantis, quæ ipſi in hoc non minus proceſſu, quàm in alio ſalvæ eſſe debent, ita ut, licet vel ſententia lata ſit adverſus principalem, eadem tamen contra fidejuſſorem ex contractu absque novo proceſſu executioni demandari non debet, ſed ille antea audiri, utrum quas juſtas habent exceptiones in causâ ſuâ allegandas, quia defenſionis ſpeciem in ſe continent *pr. Inſt. de Except. Mev. d. c. 8. n. 38.*

§. 6. Porrò Inquilinus ſivè conductor mercede non ſoluta emigraturus, arreſtari poteſt, donec penſionem vel mercedem exſolverit, uti ordinat. Saxon. judicial. proviſum *tit. 15.* §. Desgleichen wenn ein &c. & aliàs æquiſſimum eſt. Sicut & tunc Areſtô juſtiſſimè utitur locator, quando conductor, ſive ſit colonus ſive inquilinus, non ſolvit mercedem, ut tunc fructus fundi vel illata vel invecta detineantur, ubicunque reperta, donec, quod debet, ſolvat. *Mev. d. Tract. c. 6. num. 55.*

§. 7. At quid de mulieribus dicendum? Has ſanè fatendum eſt, pro debito civili incarcerari jure prohiberi *Nov.*

134. c. 8. circ. fin. verſ. Nullam enim mulierem ibi: circa caſtitatem injuriata. Sed indè nullò modò ſequitur, eas arreſtari non debere. Siquidem inter incarcerationem & arreſtum maximè intereſt, quòd hoc debitori tædium tantùm creet atque gignat; Illa verò ipſum corpus infligat; Ex quo vel ſatis liquet, illud huic ne æquiparari ſaltem poſſe, nec ab uno ad alterum, tanquam ſeparatis, rectè inferrii: *Andr. Scheff. pract. quæſt. jur. p. 2. qu. 1. n. 23. Peck. d. tract. c. 5. n. 15.* id quod & diligenter ſanxit D. Aug. *Novell. p. 2. conſt. 21. ibi:* So eine Weibsperſon ſich wiſſentlich zu perſönlichen Arreſt oder Gehorſam verſchrieben / ſo wäre ſie es auch zu halten ſchuldig. Et tantùm de illis, qui areſtari poſſunt. Videndum etiam de his, qui arreſtari non poſſunt.

§. 8. Sunt igitur ab Arreſto exempti, primò, qui ob defectum ætatis conveniri non poſſunt; quales ſunt impuberes ſive pupilli, item minores 25. annis de J. Civili. de Jure verò Saxonico 21. hi enim pro civili & pecuniariâ causâ conveniri non poſſunt, *l. 22. ff. de in jus voc. l. 22. Ex quib. cauſ. major.* cùm non ſolùm hi perſonam ſtandi in judicio non habeant *l. fin. C. Qui leg perſ.* Sed & propter ætatem ſolvere non poſſunt *l. 5. ff. de rebus eor. qui ſub tut. vel curat.* Nec proptereà executio in tutorem ejusve bona poteſt decerni per ea, quæ tradit *Col. d. tract. p. 2. c. 3. n. 256.* qui hâc in parte conſuli poteſt *Mev. c. 8. n. 34.*

§. 9. Porrò Arreſtô conſtringere nequeunt liberi parentes *Berlich. pract. p. 1. concl. 50. n. 9. & ſeqq.* tùm quia liberis interdicta perſcrutatio bonorum paternorum adminiſtrationis *l. 8. §. ult. C. de ſec. Nupt. l. 6. §. 2. C. de Bon. quæ liber.* tum quia honor, qui parentibus debetur, vetat actum contra eos ſuſcipere, qui exiſtimationem lædat aut ſuggillet *l. 4. §. 10. ff. de dol. mal. arg. l. 2. l. 9. ff. de Obſeqv. par. & patron. praſt.* cujusmodi reputatur Arreſtum *Gail. de Arreſt. Imper. p. 2. c. 5. n. 124.* tùm quia ſub pœnâ exhæredationis filius debet avertere, nè ab alio debitore includatur *Nov. 115. c. 3. §. 8.* Ergò multò magis Arreſti duritia ab ipſo exercitia eum ſubjicere videtur indignationis paternæ effectis. Limitat tamen *Berlich.*

Berlich. d. l. n. 20. hanc ſententiam, niſi parens ſit malæ vitæ, prodigus, aut notoriè non ſolvendo. Item, ſi filium urget neceſſitas moroſum compellandi Patrem, niſi bonis cedere, ſuos creditores fallere, aut famæ detrimentum incurrere debeat. Quæ exceptiones ſummâ nituntur æquitate, cùm ordinata charitas incipiat à ſeipſa *l. 6. C. de Servit. & Aqv.* Ita ſi debitor parens bonis labitur, aut alia neceſſitas urget filium, quô ſibi maturè proſpiciat, non accuſandus erit injuriæ, quia jure ſuô non temerè utitur, & non injuriam, ſed beneficium jure communi indultum, cùm opus eſt, uſurpat. *l. 42. ff. de Act. Emt.* Exhæredatio prætereà ex ejusmodi parente facta parvi erit facienda, ſi res parentum ad raſtra reſtimque redière. *Carpz. J. R.S. p. 1. c. 19. def. 27.*

§. 10. Ab Arreſtis quoque exemti ſunt ſtudioſi *ex Auth. Habita. C. Ne fil. pro patre. verſ. Hac igitur;* Cui ſubſcribit vulgare brocardicon *in can. 15. de R. J. in 6. Odia ſunt reſtringenda, favores autem ampliandi, & l. 3. ff. de conſtit. Princ.* quod beneficia principum ſint latiſſimè interpretanda. Unde licet eſſe ſtatutum, vel conſuetudo generalis, quod poſt lapſum ſolutionis terminum debitores in perſonâ ſiſti poſſunt, tamen ſtudioſos non comprehendere exiſtimatur, *Col. d. Tract. p. 2. c. 3. n. 157.* Si modo ſtudioſi ſuis invigilent ſtudiis, eorumque causâ peregrinentur: Data enim eſt ea immunitas, ne impediantur curſum literarium pro ſuâ & publicâ ſalute abſolvere, quod facilè contingere poſſet, ſi per Arreſta debitorum prætextu detinerentur. Cæterùm, quando ſtudioſi alibi commorantur, ibi contrahunt, delinquunt, adminiſtrant, ſimiliter ſi expreſsè vel tacitè foro renunciant, uti, quatenus ſine præjudicio Academiæ fieri poteſt, integrum eſt, non gaudent eô privilegio: adeoque non pertinent ad delinquentes, qui re & corpore arreſtantur, quemadmodum uſus quotidianus ſic obſervat. Porrò nec diſceſſuris ex Academiis vel aliis locis, ubi pro victu vel habitatione debita contraxerunt, indulgetur ea licentia, ut invitis creditoribus licitè diſcedant, antequam ſolvant.

§. 11. Prætereà hôc privilegiô gaudent milites, tanquam

quam quorum, ut in aliis juris partibus, magnus eſt favor, *arg l. ult. C. de Jur. delib.* Ita & tali meritò præmiô pericula & benè merita eorum non erunt indigna, *Peck. de J.S c. 5. n. 6.* ſcilicet qui nomina ſua profeſſi, & relati in numeros fuerint, eò quòd militum privilegiis hôc jure ſingularis adjecta ſit reſtrictio, ut non niſi actu militantibus & expeditionum neceſſitate occupatis competant, ut ſe ſanxiſſe ait Juſtinianus *in l. 8. C. de Reſtit. milit. l. per C. de Teſtam. milit.* Quibus certè indignos ego cenſendos exiſtimarem graſſatores illos & impunitos latrones, quos indè novô vocabulô, & ſplendido epithetô non ſine inclytæ germanicæ nationis dedecore Freybeuter vulgò Hünnerfänger appellamus. *Gail. de Arreſt. Imp. c. 9. n. 12.* aut cæteri, qui ubi in hyberna deducti ſunt, aliôve quôcunque tempore expeditionis obliti, inhiant, prædis, deprædantur ruſticos, omnia devaſtant, & rarô præliô cum hoſte dimicant, ſo die Straſſen rein halten / den Bauren Kiſten und Kaſten fegen / den Leuten aus pur lauterm Frevel und Muhtwillen / nur zu dem Ende / daß man ſehen ſoll / daß ſie auch Soldaten bedeuten / alles in Grund verderben / verheeren und verwüſten / auch wo nicht gantz und gar / doch ſelten einen todten Mann im Felde ſehen / und anders nichts als gute Kirmes-Knechte und Hellbrühe geben. Ecquis enim hos militiam h. e. duritiem, à qua militem appellari vult *Ulp. in l. 1. §. 1. ff. de Teſtam. milit.* pro Eccleſia & Rep. ſuſtinuiſſe, niſi inſaniſſimus omnium affirmare vellet. Quis his non magis peſtem, morbum, mortem, & omnem denique cruciatum exoptaret, quàm ſanitatem & proſperitatem? Quod verò de militibus jure receptum eſſe traditur, ut arreſtari nequeant, id rectè quoque ad venalitiarios caſtrenſes, qui eſculenta, potulenta, & alia id genus exercitûs cauſa parata habent, & nobis Marckedenter dicuntur, extenditur, *arg. l. 5. §. 3. ff. de Jur. Immun. Peck. de J.S. c. 5. n. 7.* qui, ut publicæ & moram non patienti utilitati ſerviunt, ſic quando iſta opera funguntur, arreſtari non debent.

§. 12. Immunes quoque ab arreſtis ſunt Principum Legati, vel alii, qui de cauſa quapiam peregrinantur neceſ-
ſaria,

ſaria puta evocati teſtimonii dicendi, judicandi, aut appellationis juſtificandæ gratia, aut ſi quæ alia cauſa peregrinandi legitima fuerit *l. 2. §. 3. ff. de Judic. Carpz. J.R.S. c. 30. def. 10.* Cùm iſti omnes jus revocandi domum habeant. *d. l. 2. §. 4.* ne, ſi ita arreſtarentur, Legati à ſuo Legationis avocentur munere & officiô *l. 24. in fin. verſ. ideò enim & l. 26. ff. d. t.* aut cæteri in ſuis, quorum gratia profecti ſunt, expediendis præpediantur negotiis. Excip. ſi forte in legatione vel peregrinatione contraxerint, *d. §. 4. verſ. cæterum. & d. l. 24. pr. ff. d. loc.* aliter enim poteſtas ipſis dabitur ſub hac ſpecie res alienas domum auferendi *l. 25. in fin. ff. d. t.* quod eſſet abſurdum & iniquum contra vulgata jura in *l. 25. §. 2. in fin. ad SCtum. Trebell. l. 74. de R. J.* cùm tralatitium ſit in jure, beneficia & privilegia nemini in alterius injuriam conceſſa, intelligi debere, *Rittersh. Expoſ. Method. Novell p. 9. c. 10. n. 24.* Hiſce recte annumerantur Commiſſarii, præſertim, quantum ad jus revocandi domum ſpectat, item hi, qui à ſuperiori in Curiam vel aulam pro honore ſuo, aut uſu publicô vocantur, ab arreſtis ſunt liberi, cum non ſponte, ſed coacti veniant *Mev. c. 8. num. 120.*

§. 13. Immunitas ab Arreſtis porrò aſſeritur Conſiliariis & Advocatis Principum, cùm ſine præjudicio & damnô publicô detineri in aliis foris non poſſint, quibus publici incumbit cura *l. jubemus, l. petitionum C. de Advocat. diverſ. jud. Peck. d. cap. 5. n. 10.* Quod tamen non aliter accipiendum eſt, quàm quoad illorum perſonas, quatenus per Arreſta in functione impedirentur, quia bona ipſorum nullibi iſta gaudent. Deindè aliud quoque ſentiendum, cùm in loco aliquo contraxerunt, vel ſolvere promiſerunt, aut fori beneficio expreſſè aut tacitè renunciarunt. His caſibus nec jus nec ratio ipſos liberat ab arreſtis, non magis, quàm ab ipſis conventis *l. 1. ff. de pact. l. 1. de pecun. conſtit.*

§. 14. Nec minus hoc privilegiô gaudent ſalvum conductum habentes, veluti, qui non ſolùm ad veniendum, ſed etiam recedendum porrigitur. *Sichard. in Auth. Habitâ. n. 10. C. Ne fil. pro Patr. & in l. unic. C. de Nundin. num. 2.* & fides per ſal-

 vum

vum conductum data, piè inviolatèque ſervanda eſt, remotâ omni ambiguitate, auff gut teutſch. *d. l. 1. de conſtit. pecun.* Etiamſi hoſti ea data fuerit *l. 5. verſ publica Conventio ff. de Pact.* Datâ enim fide amplius hoſtis non eſt, *Menoch. Lib. 2. de Arbit. cent. 3. cap. 336. n. 26.*

§. 15. Tuti itidem ab Arreſtis ſunt inſtitores, quos vulgò factores appellamus, eò, quod illi nunquam ſuô contrahant nomine *l. 1. pr. ff. d. Inſt. act.* Sed ſemper alterius præponentis commodo & quæſtui miniſtrant; Arreſtô vero ille tantùm impediri poteſt, qui ſuo nomine contrahit *arg. l. 11. de O. & A.* Ergò. Undè nec jure ipſi ſunt obligati, nec æquitas conveniendi eos ſupereſt *l. 26. in fin. ff. de Inſt. Act.* Id quod expreſsè poſteà ſanxit D. Auguſtus Elector *Conſt. 30. p. 1. ſuarum Novell. pr. ibi:* Wann ſie gleich der obligirten Perſonen Diener / ſollen mit keinem Arreſt beleget werden. Quid? cùm contrahentes plerumque ignari ſint conditionis ejus, qui præpoſitus eſt, fidem magis Domini, quàm Inſtitoris ſequi in dubio videntur §. *1. Inſt. Quod cum eo &c. l. 29. ff. de R. C.*

§. 16. Liberantur quoque ab Arreſtis, qui dilationes moratorias impetrarunt, de quibus *in l. 2. C. de prec. Imper. offer. Peck. de J. S. cap. 5. n. 17.* & vocantur germanicô Idiomate Quinquenellen / quia plerumque ad quinquennium extenduntur, quò ita intereà ſecum de commoda ſolutione faciendâ deliberandi, & debita, quibus ſibi expoſito alios obſtrictos tenent, viciſſim exigendi, atque adeo ad pingviorem fortunam redeundi tempus ſalvum atque integrum habeant. Quæ, quando hodiè concedi debent, diligenter ſancitum eſt à Carolo in Comit. Auguſt. de anno 1548. in der Reformation Guter Pollicey tit. von verdorbenen Kauffleuten. §. und nach dem ſie zu Zeiten ꝛc. Et denuo à Rudolpho II. in Comit. Francofurtenſibus de anno 1577. tit. 23. von verdorbenen Kauffleuten. §. fin. Wenn auch ſolche verdorbene Kauffleute.

§. 17. Tandem ad vivos ſaltem ſpectant Arreſta non ad defunctos. Hos cùm humari publicè privatimque interſit,

terſit, Juriſprudentia voluit in eo naturæ,humanitati, verecundiæ & ſalubritati *l.27. de Condit. Ind.* conſulere, Cadavera ſine obſtaculo in memoriam humanæ conditionis ſepeliri juſſit. *d. l. 27.* Ideoque maxima impoſita eſt pœna illis, qui demortuorum cadavera ob debita ullô modô ſiſti, arreſtari, aut ſepulturam impedire conantur, nimirùm, ut plectantur tertiâ parte bonorum ſuorum, cadant actione contra hæredes debitoris competente, alterum tantum ipſis ſolvere tenentur, & notantur infamiâ *l. fin. & Auth. ſeqv. C. de Sepulchr. viol. Nov. 60. c. 1. Nov. 115. c. 5. Col. d. Tract. p. 1. c. 6. n. 116.* quæ aſperæ, certæ & ſatis duræ pœnæ rigoroſis illis & inhumanis creditoribus poſitæ, ut inhumanô planè & beſtiali exequendi modô deſiſterent, cùm contaminata defunctorum religio pœnam ſacrilegii habet, *l. 5. C. de Sepulchr. violat. add. l. 6. C. eod. Mev. d. cap. 8. n. 215. & ſeqq.*

§. 18. Sequitur, ut nunc videamus de Objecto, quod ſunt res debitoris, quatenus ad eum pertinent, ſive in totum, ſive pro parte, ſeu ratione alicujus juris, uti pars aliena ſeparanda eſt, & non alia, quàm quæ ad debitorem ſpectat, ſubjicienda. Hinc ſi debitor arreſtandus in re, quæ arreſtô conſtringi debet, portionem aliquam indiviſibilem duntaxat habuerit, ratione iſtius locum habet, non verô tota res detineri: quô tamen caſu debitor, cujus culpâ fit arreſtatio, ſocio ſive conſorti, ſi damnum aliquod ipſi evenerit, tenetur ad damni iſtius refuſionem per *l. 3. princ. & l. 20. ff. commun. divid. Peck. d. tract. c. 4. n. 8.* Et licet quoque tertius poſſeſſor in re arreſtatâ jus aliquod habuerit, quæ tamen debitoris propria eſt, valet Arreſtum, & quod detractô iſtô jure ſupereſt, proocit ad ſatisfactionem Creditoris, veluti ſi res debitoris, apud alium creditorem pignori obligata exiſtat, nihilominus arreſtari poterit, & poſt ſententiam à novo iſto creditore vendi, modò priori, cui pignorata fuit, debitum exſolvat. *Peck. d. tract. c. 16. num. 11.*

§. 19. Tàm *mobiles, quàm immobiles.* Etſi enim Arreſtum de mobilibus proprie intelligendum, cùm immobiles locô moveri nequeant; ejus tamen vice, quoad illas obtinet prohi-

prohibitio alienationis, quæ impetrari ſolet à iudice, quoties juſtus metus eſt, ne alienando debitor vel poſſeſſor deteriorem reddat petitoris cauſam; quod præceptum de non alienando ſimile eſt arreſto. Et hoc etiam inprimis hodiè propter Arreſtum Saxonicum dicendum eſt, ceu quò res potiſſimùm immobiles ad conſequendam prælationem præ reliquis debitoribus ſiſti petuntur; cum cæteroquin res mobiles ejus duntaxat ſint conditionis, ut per eas debitorem, quod jure ſpectatur communi, ſiſtere & detinere poſſimus. *Pech. d. tract. cap. 5. num. 21.*

§. 20. Hinc occaſionaliter quæritur; An, ſi de moribus Saxonicis Arreſtum generaliter ad omnia bona impetratum fuerit, etiam ad futura trahendum ſit? Quod affirmandum, ceu ſub generali hypotheca, quam Arreſtum Saxonicum inducit, omnia omninò bona, futura etiam, contineantur, *per l. fin & ibi Gothofr. in not. C. Quæ res pign. oblig. poſſ.* Idque etiam confirmat Sereniſſimus Elector Saxoniæ JOHANN. GEORG. in der Proceß-Ordnung *c. 48.* von dem dinglichen Recht *in fin. pr. ibi:* und wenn er in genere und indefinite auff alle des Schuldners Güter Arreſt angeleget/ auch die bona futura, die der debitor quôcunque modò erlangen möchte/ afficiren. *& c. 51.* vom Arreſt und Kummer. §. Wann aber in unſer Cantzeley *p. 155. ibi:* Wie auch auff bona futura, und was der Schuldner noch acquiriren und erlangen möchte. Sed quæritur: An hoc Arreſtum generale in Conſiſtorio Principis factum, ad debitoris bona ſub tutelari, itemque incorporata, at non hæreditaria Principis Jurisdictione ſita, extendatur? Reſp. Neg. Quia Jurisdictionum non debet fieri confuſio, *arg. l. 15. ff. de Jurisd. l. 5. ff. de Judic.* add. dict. Ordinat. §. Wann aber in unſerer. ibi: Doch auſſerhalb deren in unſern dreyen Stifftern/ Meiſſen/ Merſeburg und Naumburg/ weil wir dieſelben mit ſonderbarer Regierung verſehen / gelegenen Güter.

§. 21. Ampl. ut etiam res vendita, licet nondum tradita, arreſto ſubjaceat, quia traditionibus, non pactis rerum domi-

Dominia acquiruntur *l. 20. C. de Pact.* Imò, licet emptor pretium numeraverit, non tamen ex ſolâ emptione ille Dominus factus, antequam traditio reverà ſubſecuta fuit. § 3. *in fin. Inſt. de E.V.* Et notandum hìc, quod res, quæ pondere, menſurà aut numerò conſtant, licet poſt venditionem emptionis in domum adductæ fuére, niſi tamen adpenſæ, numeratæ, vel admenſæ ſint, traditio nondum cenſetur facta *l. 35. §. 5. ff. de contrah. Empt.* Hinc in praxi ſic obſervatur, quod licet frumenta deferantur ad domus mercatorum, qui pecuniam pronunciaverunt, aut merces crediderunt, ante menſurationem tamen Arreſtum rectè imponatur. *Mev. cap. 9. num. 11. & ſeqv.*

§. 22. Præterea etiam nominum ſeu ejus, quod debitori noſtro ſuus debet debitor, Arreſtatio fit, licet enim debitor debitoris, quem creditor ex contractu vel quaſi obligatum habet, detineri & arreſtari non poſſit, *arg. l. 47. §. 1. de R. J.* id tamen, quod ſuo debitori debet, rectè arreſtatur usque ad quantitatem debiti concurrentem: Ita ut arreſtaturus judicem adeat, arreſtationemq; pecuniæ ejus, quam tertius debet, petat, idq; poſteà denunciet debitori debitoris ſui, ne id, in quo eſt, Creditori ſuo immediato obligatus ſine ulteriori judicis permiſſu ſolvat *arg. l. 21. in fin. ff. ad SCtum Trebell.* Quæ inhibitio vim arreſti habet *Col. de tract. p. 2. c. 3. n. 495.* Ne tamen inanibus implicentur litibus creditores, ex re eſt, citari ad certum diem debitoris debitorem, penes quem pecunia, aut res ejus arreſtatur, & in judicio interrogari, an & quantū debeat, & an res debitoris ejusmodi, & quas detineat ſic, ut ſi ita videatur judici ſub juramento veritatem dicere cogendus ſit. *Mev. d. cap. 9. n. 38.* ubi ait hanc eſſe Practicam.

§. 23. Cæterùm, quemadmodum perſonæ quædam ab arreſto immunes ſunt, de quibus in præcedentibus dictum eſt, ita & res nonnullæ arreſtari non poſſunt, e. gr. res eccleſiaſticæ, ſcilicet, ſi arreſtatio fit miniſteriô judicis ſecularis, tanquàm incompetentis *per cap. XII. extr. de for. compet.* cùm absque ſacrilegio bona capi non poſſint, quorum dominium ſemel acquiſivit eccleſia, niſi interveniente autoritate judi-

cis eccleſiaſtici *c. 3. cauſ. 12. qv. 2. l. 21. C. de S. S. Eccleſ. Col. d. tract. p. 2. c. 3. n. 157.*

§. 24. Secundò feudales; id quod extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, tàm quoad jus commune, utpote, quando res mobiles duntaxat ſiſti conſveverunt, quàm quoad Jus Saxonicum eò, quod licet res immobiles eò etiam ſiſtantur; non tamen res feudales, qvia propter debita vaſallorum in feudis nec hypotheca, nec alienatio, nec executio absque domini conſenſu datur *per Text. in ll. FF. SS. pr.* Ergò nec Arreſtum; nec aliàs obtrudatur domino invito, vel ignoranti alius fortè non acceptabilis vaſallus *dict. text. §. 1.* Aliud obtinet in fructibus ex feudo perceptis, quia hîc non de præjudicio Domini ſed Vaſalli ſaltem agitur, qui & alias fructus alienare, & pro lubitu de iis diſponere poteſt. *vid. text. ll. FF. 45. ibi: Sed in fructibus, ſi quos reliquit.* Maximè verò *per text. in conſtit. 25. Novell.* D. Auguſtus p. 2 §. So viel dann der Abnützung des Lehnguts belanget ꝛc. ac nominatim in materiâ præſenti, dicta ordinatione cap. 48. von dem dinglichen Recht. p. 145. §. Wie und welcher geſtalt/ ibi: Diß aber hierbey ſonderlich in acht zu nehmen/ daß ſich die Arreſta/ wenn ſie gleich von den Lehnherren verſtattet/ doch wieder ihren Willen nicht auff den Eigenthum/ ſondern allein auff die Früchte erſtrecken können. Quod ampliatur, etiamſi bona allodialia antea non fuerint excuſſa, ratio eſt, quia fructus ex feudis præcepti ſunt allodiales: in rebus autem allodialibus non minus in unam quàm aliam fieri poteſt executio. Excipitur niſi judex ſit feudi Dominus, aut conſenſu ejus fiat, *citat. ord. proc. Judic. d. l. ibi:* Es wolte denn der Lehnherr dem Arreſtanten hierinn gutwillig gratificiren/ h. e. arreſtum ſuper feudo concedere.

§. 25. Tertiò ab Arreſto exempti ſunt equi militum & arma, veluti ſine quibus vocationis ſuæ munus obire aut remp. defendere nequeunt *Col. d. c. 3. n. 152.* An etiam libri ſtudioſorum? Vulgò ſanè libri ſtudioſorum parem cauſam cum armis militum obtinere putantur. Verum cum uſu diver-

diverſum invaluiſſe pervulgatum ſit, eum meritò ſequor: præſertim, quia nullibi legitur jure civili, libros ſtudioſorum eſſe immunes ab executione. Ergo nec ab Arreſto, quod executionis formam continet *Virgil. Pingiz. qv. Saxon. 58. num. 23.* ubi de quotidianâ atteſtatur experientia *poſt Colerum Carpzov. Richt.* quos ad hoc citat *Daniel Beyer Vratislav. J. U. Licent. in jure Miſcul. p. 2. c. 7. th. ult. circ. fin.* ubi ad communem totius Germaniæ conſvetudinem & obſervantiam provocat. Nec obſtat, quod, ut milites ſine armis, ita & ſtudioſos ſine libris officio ſuo recte perfungi non poſſe, cum opera eorum jam tùm, cùm in ſtudiis humanitatis & literarum verſantur, talis non ſit, ut ſtatim ad utilitatem, prout militum munus, præferatur publicam, ut ita in eo, in quo vel maximè fieri deberet comparatio, maxima deprehendatur diſſimilitudo, veluti ob quam modum iſtum argumentandi à ſimili: *Ubicunque eſt eadem ratio vel æquitas, ibi eadem eſſe debet juris diſpoſitio*: non concludere ponit *Everb. in loc. à ſimili verſ. Et procedit tunc demum.*

§. 26. Excip. quartò inſtrumenta agriculturæ tàm animata, quàm inanimata, ut ſunt equi & boves aratorii, aratra, ligones, plauſtra & ſimilia: ratio eſt, quia inſtrumenta hæc in favorem agriculturæ pignore capi vel auferri non poſſunt *arg. l. 7. l. 8. & Auth. Agricultores. C. quæ res pign. oblig.* Ergo nec arreſtari. Niſi alia bona ad ſatisfaciendum deficiant: Aliàs enim nemo facile inveniretur, qui cum ruſticis contrahere, aut in creditum ire vellet. Imo hâc ratione vel cum creditoris detrimento fierent locupletiores contra naturalem æquitatem, cujus veſtigia ſunt in vulgata *l. 14. ff. de Condict. Indeb. l. 206. de R. J.* cum tamen nunquam privilegium in præjudicium tertii ſit extendendum *cap. 6. verſ. Quod autem de prima extr. de Donat. inter vir. & uxor.*

§. 27. Quintò hæreditas jacens; nulla enim hic exiſtit perſona, quæ citari, interpellari & in morâ conſtitui poteſt *arg. l. 24. §. 2. ff. ſolut. matrim.* Jure civili quidem intra novem dies *Novell. 115. c. 5. §. 1. & inde deſumpta Auth. ſed neque C. de ſepulchr. violat.* De jure verò Saxonico intra triginta dies

Text. in artic. 15. l. 3. Landrecht & *Gloſſ. in artic. 22. l. 1.* Land-Recht / ubi dicitur; Der Erbe ſoll ſich für dem dreyßigſten nicht unterwinden / alſo müſſen auch die Kläger oder die thun / denen man ſchuldig / vor dem dreyßigſten ſoll man auff des Erben Schuld nicht klagen.

CAPUT IV.

DE EFFECTU CUM ADJUNCTIS FORMALITER, ET CIRCUMSTANTIIS LOCI ET TEMPORIS.

§. I.

EFfectus Arreſti eſt vel Communis vel Specialis Juris Saxonici, Communis (1.) quoad arreſtatum hîc eſt, quod impoſitum vel indictum literis, vel à miniſtro Arreſtum obliget vel in perſona vel in rebus; ut illa arreſtata non deſerat judicium ante finitam litem & deciſam cauſam; hæ verò ſub arreſto comprehenſæ ab ipſo vel alio quopiam transferantur ad alia loca, nec alienentur invitâ parte adverſâ, modo tamen ejusmodi fuerint, quæ duraturæ ſunt. Nam ſi tales ſunt, quæ tractu exigui temporis corrumpuntur, deminuuntur & abſumuntur, tunc permiſſu judicis vendi debent, & pecuniæ indè redactæ in judicio deponi, Heinrich Knauſt in ſeinem Feuerzeug gerichtl. Proc. Tit. von Proceß in Sequeſtern / Arreſten / Kuṁer ꝛc *p. m. 139. §.* es begiebt ſich auch. Et, ſi debitor arreſtum impoſitum contemnit, aut violat, punitur à judice, prout omnia, quæ judicis contemptum concernunt, eidem punienda relinquuntur, *l. 11. ff. ſi quis jus dicent. non obtemper.* idq; pro ej9 arbitrio & diſcretione. Nam ubicunque in jure noſtro pœnæ abſolute fit mentio, ſemper intelligitur arbitraria. (2.) Reſpectu arreſtantis inducit quaſi pignus prætoriū, ſicut enim in pignore nulla eſt poſſeſſio, nec jus propriè loquendo, ſed ſaltem detentio & cuſtodia pro ſecuritate crediti,

crediti, ita nullâ aliâ de causâ jure civili Arreſtum conceditur, quàm ut inde contra arreſtatum actio ſit ſecura, & fundata Jurisdictio in foro, ubi reus juſtè convenitur. (3.) Parit litis pendentiam *Peck. de tract. c. 35. n. 1.* Nec mirum; ſi enim ſolâ citatione iſta inducitur, paritque exceptionem præventionis *Gail. 1. obſ. 74. n. 18.* multò magis arreſtatio eandem operabitur, quæ niſi alia ratio avocet, aſtringit cauſam foro, ubi Arreſtum decernitur.

§. 2. Specialis effectus autem Arreſti nimirum Saxonici eſt, ut tribuat in rebus & bonis debitorum *Jus reale*, ein dinglich Recht oder Gerechtigkeit / D. Auguſtus *p. 1. Novell. Conſt. 28.* §. Ferner ſoll nach denen / idque ſtatim ab impetrationis tempore dict. §. Ferner verb. denen wir auch hiermit eine dingliche Gerechtigkeit der prioritât halben von der Stunde / da der erſte Kummer geſchehen / gebûhrlich verfolget / geben und verſtatten; modò ad ejusmodi effectum conſequendum illud per ſingulas quaterdenas tribus vicibus fuerit proſecutum *Col. de Proc. Exec. p. 3. c. 11. n. 35.* Quod *Jus reale* ſimile eſt pignori prætorio vel tacitæ hypothecæ *Col. de tract. p. 1. c. 2. n. 189.* tanquam cujus ratione arreſtator præfertur omnibus aliis creditoribus perſonalibus hypothecam poſteriorem habentibus, aut etiam Arreſtum poſterius conſecutis. Et hanc ſententiam noviſſimè confirmavit Sereniſſ. Elector JOHANN. GEORG. in der Proceß- oder Gerichts-Ordnung *c. 48. rubr.* von dem dinglichen Recht / ſo man durch Arreſt erlanget / *in pr. ibi*: und werden deswegen die Arreſtanten von der Zeit an / da ſie ſolch ihr Jus bekommen / allen andern Glâubigern / die erſt nach ihnen ſtillſchweigende oder ausdrûckliche Verpfândung oder Hûlffe erlangen / mit der Bezahlung vorgezogen. In tantum autem ejusmodi hypothecæ vis rei inhæret affixa, & quaſi adglutinata, & ſi ad tertium poſſeſſorem res perveniat, creditor contra eum, quaſi Servianam ſive hypothecariam actionem habet *arg. l. 14. C. de pign.* præcedente tamen excusſione debitoris principalis. *Auth. hoc ſi debitor C. de pign. & hypothec. Nov. 4. c. 2. & inde deſumpta Auth. Sed hodiè C. de Oblig. & Act. Col. dict. tract. p. 3. c. 11. n. 29.*

§. 3. Ca-

§. 3. Caſus ex modo dictis poteſt formari talis: Innoteſcit fuga mercatoris cujusdam duobus creditoribus, quorum unus judicem, non quidem pro tribunali ſedentem, ſed in viâ forte publicâ euntem accedit, arreſtum petens: judex eum poſt horam redire jubet, & intereà tempus petiti a ſe arreſti domi in librum ſuum refert, mox alter creditor quaſi prævertens judicem adit, & de arreſto ſollicitat, ſimulque impetrat. Quæritur, uter ex his duobus prioritatis privilegiô gaudebit? An is, qui prior petierat, an verò alter, qui prius impetraſſe videtur? Reſp. Affirmando prius juxta illud vulgatum: *Qui prior eſt tempore, potior etiam jure arg. l. 7. C. qui pot. in pign.* cui Brocardico ſubſcribit ratio juris; quod judex creditori, priori de jure ſuo ſibi vigilanti cenſeatur ex ipſo annuiſſe, quia tempus annotavit, neque arreſtum ipſi expreſse denegavit, cum juſtam denegandi cauſam non habuerit *arg. l. 37. ff. ſolut. matrim. Moller. ·. Semeſtr. 44.*

§. 4. Ut autem Arreſtatio fieri poſſit, requiritur etiam locus opportunus, quô vel res vel perſona arreſtanda capitur: & tempus competens, quô arreſtatio fieri debet. iſte verò locus, quod *generaliter* notandum, quoad rei reſervationem debet eſſe tutus, quem is præſtare debet in cujus cuſtodiam res traditæ ſunt: Cœterum ſi de ejus conſtiterit injuriâ, de dolo & negligentiâ, in id, quod intereſt, tenebitur *vid. Peck. de J. S. c. 30. fermè per totum.* Quoad ipſius verò debitoris detentionem honeſtus. Nam cùm Arreſtum non pœnæ alicujus infligendæ, ſed tædii faciendi causa fiat, utique & locus iſte hâc ratione commenſurandus erit, ut non pœnæ inferat rigorem, ſed detentionis tantùm habeat opportunitatem *arg. l. 8. §. 9. ff. de pœn.* quô de judex proſpiciet. *per l. 9. C. de Epiſc. aud.*

§. 5. *Specialiter* verò arreſtari poteſt, non modò in curiâ aut alio aliquo loco publico, verum etiam in ædibus ſacris, cùm arreſtatio ſi in morâ periculum verſetur, etiam tempore feriato fieri poſſit, ne ſcilicet occaſione unius momenti res tota pereat *l. 3. C. de Fer. l. 1 §. 2. ff. eod. cap. 21. in fin. ubi Panormitan. n. 13. ſeqv. extr. de Judic.* A tempore autem

ad

ad locum valet argumentatio *Everb. in loc à temp. ad loc. vid. Muller. lib. 2. ſemeſtr. c. 42. n. 4. ibi nullo habito diſcrimine.* An in ſcholâ publicâ, h. e. publico univerſitatis auditorio? Omnino, cum id ipſum in loco ſacro, ut jam dictum, etiam fieri poſſit: etenim, quod in re majori valet, id multò magis in re minori valebit *Dan. Otto. L. I. Dial. jur. c. 17. de Impar.*

§. 6. Deinde etiam in domo debitoris propriâ: Nam quamvis aliàs domus cuique tutiſſimum refugium, atque receptaculum eſſe debeat *l. 18. ff. de in jus voc.* quia tamen per arreſti impoſitionem nulla infertur debitori fugitivo, vel ſaltem de fugâ ſuſpecto vis, nullaque extractio *arg. l. 4. §. 5. ibi verecundè autem Prætorem denunciari jubere, non extrahi de domo ſuâ ff. de damn. infect.* nihil impediet, quo minùs in domo debitoris privatâ ſ. propriâ arreſtatio fieri poſſit *Jaſon. in d. l. 18. n. 26. ff. de in jus vocand.* Item in domibus, ubi lictores, & cæteri horum ad capiendum homines degunt ſocii aſſeclæ, als auff den Thorhäuſern und andern Orten, wo ſolche Geſellen *de tribu levi* wohnen, niſi forte arreſtandorum reclamaverit dignitas & amplitudo.

§. 7. Ad tempus verò quod attinet, arreſtari poſſunt debitores vigore conſvetudinis, quôcunque tempore, in ſummis etiam feriis, præprimis quando periculum eſt in morâ, veluti ſi metus ſit illos diſceſſuros, aut res ex loco aliquo tranſportaturos, ut creditori evadat conveniendi facilitas *Peck. de J. S. c. 1.* ubi prolixè hoc explicat. Quæcunque enim moram non patiuntur, aut ex illâ deteriora futura ſunt, etiam diebus feriatis expedire licet *l. fin. C. de Fer.* Quia igitur non facta arreſtatione, quâ proſpici poteſt creditoribus, reus in loco amplius conveniri nequit, atque ſic præſens mora habet periculum, non habenda ratio feriarum. Huc pertinet, quod ſcitè & prudenter JCtus quidam interrogatus, quidnam feriis agi liceret? Reſpondit, quod noceret prætermiſſum. Nec inſpicitur, an debitor ſolvendo ſit, nec ne? vel an alibi magnas poſſideat facultates; quia plerumque Arreſta non idcirco petuntur, quod debitor adeo obæratus vel ſuſpectus de fugâ, ſed quod ex ſtatuto, vel privilegio, vel

pacto,

pacto forum ſortitur, ubi ipſe, vel bona ejus reperiuntur, & ut ſolvat aut reſpondeat in iſto loco detinendus. Ergò ubi timetur de receſſu debitoris, detineri poteſt in corpore & bonis, etiam die ob honorem DEI feriato, donec ſolvat, aut de judicio ſiſti, & judicatum ſolvi caveat. *Diſſ. Col. de Proc. Exec. p. 3. c. 11. n. 90. per l. fin. C. de Fer.*

§. 8. Sed an de nocte etiam Arreſta petere licet? Affirm. ratio, quia quamvis tempus nocturnum ad actus judiciales expediendos incongruum & indecorum videatur *cap. 24. circ. fin. extr. de offic. judic. deleg.* nihilominus poſſunt propter neceſſitatem, ſi res tempore eſt peritura, etiam de nocte partes à judice accommodari *arg. l. 1. §. 2. l. 2. l. 3. ff. de fer.* neceſſitas enim non habet legem *Petr. Gilken. ad l. 20. n. 6. C. de Transact. Vantius de nullitat. c. 9. n. 132. Carpz. J.R.S. p. 1. c. 29. d. 16. per tot.*

§. 9. Porrò an etiam in ejusmodi neceſitatis caſu lite pendente Arreſtatio fieri poſſit? Affirmat *Peckius de Jure Siſt. c. 4. n. 5. verſ. Quin imò.* Propterea quod litis conteſtatio creditori damnum afferre non debet *l. 86. de R. J.* nec diligentia proſequentis jus ſuum ei damnoſa eſſe *per l. fin. verſ. ſimiliter C. de Alluv. & Palud.* Ac tametſi aliàs lite pendente nihil innovandum eſt *l. 1. ff. de appellat.* per litis tamen pendentiam arreſtatio tanquàm extrajudiciale remedium non impeditur ex novâ causâ: cùm multa etiam in debitore ſuſpecta licent, quæ alias non conceduntur. Jura enim vigilantibus ſunt ſcripta, non dormientibus *l. 24. in fin. quæ in fraud. credit. & paſſim.*

§. 10. Contra verò durantibus nundinis perſonam, aut res alicujus arreſtari non poſſe, communis eſt Dd. concluſio *Peck. de J.S. c. 10. Coler. d. tract. lib. 2. p. 3. num. 164.* etiam Juri communi congrua *per text. in l. fin. C. de Nund. Novell. 52. cap. 1.* & Jure Saxonico confirmata *conſtit. Novell. 30. in fin. 1. ibi:* In allen Fällen. Atque ſic in nundinis Lipſienſibus etiam obſervari teſtatur *Moller. ibidem n. 6.* Cujus ea ratio eſt. quod nundinarum ſecuritas ad utilitatem Reip. pertineat, cùm illis vigentibus civitas impingvetur, ut ait

gloſſ.

gl. ff. ad dict. l. unic. tùm ut, quæ ad vitam communem neceſſaria ſunt; liberius & majore cum copiâ importentur, non impeditâ tàm ementium quàm vendentium libertate, ſine quâ rarius frequentarentur ſolennia iſta commercia. Namque hæc pertinent ſaltem ad ordinarias & ſolennes nundinas, quæ ex immemoriali conſuetudine, vel ſuperioris privilegio, ſine quo inſtitui, aut inſtitutæ transferri non poſſunt *Vid. Moll. lib. 1. Semeſtr. c. 12. num. 1. & fin.* ordinantur. Cæteri mercatus, qui frequentius & vel hebdomatatim inſtituuntur die Wochenmärckte / non egent indultu ſuperioris, nec gaudent iſta ſecuritate, quantum ad arreſta àttinet *Peck. d. l. num. 3. & 5.* ubi ait: Eas Nundinas, quas populus Principem aliquem ſuperiorem agnoſcens nullo Principis ſui privilegiô nullâve temporis immemorialis præſcriptione ſibi uſurpat, privilegium illud non habere. Deinde non gaudent hâc immunitate delinquentes, qui prætextu nundinarum ob maleficia non ſunt ſecuri ab Arreſtis & carcere. *Nov. 18. c. 5.* multò minus, qui ob delictum damnati, relegati vel proſcripti ſunt, donec reſtituantur, aut reſcindatur condemnatio, prætextu nundinarum in urbe ſecuritatem ſperare debent, cùm iſtiusmodi homines hoſtes civitatis exiſtimentur, magisque malignandi & pacem publicam turbandi animô accedere, quàm nundinarum causâ, *Peck. d. cap. 10. n. 7.* Ultimò excipiuntur ab iſtâ ſecuritate contractus ipſo tempore nundinarum initi, ex quibus contrahentes convenire & arreſtare licet *per text. expreſſ. in l. 19. §. 2. ff. de judic.* præſertim ut ſolvant pretium rerum à ſe emtarum, quarum venditio & receptio eô animô & conditione facta intelligitur, ut acceptis mercibus illud ſtatim ſolvatur; Unde & ipſæ merces, tanquàm fide de pretio non habitâ, vindicari poſſunt. *Vid. Peck. d. c. 10. n. 6.*

CAPUT V.
DE
CONTRARIIS ARRESTI.

§. I.

COntraria ſunt modi, quibus Arreſtum relaxatur, ut ſint primò ſolutio vel præſtatio ejus, quod debetur; ſicut tollitur obligatio & actio, ita extincto fundamento extra dubium eſt, arreſtum ultra non ſubſiſtere, ideoque demonſtratâ ad oculum ſatisfactione, quicquid pœnitentia aut iniquitas creditoris inſtat, non attendet Judex, ſed juſtè illud relaxabit *Peck. de J.S. c. 45. n. 1.2.*

§. 2. Porrò ſi de facto aut notoriè iniqvum impoſitum ſit Arreſtum, ita ut nullitas ejus ob omiſſa, vel defectum eorum, quæ ad Arreſtum ſtatutis vel moribus requiruntur, Judici ſit evidens, nec excuſari queat, relaxatio non poteſt modò, ſed & debet judicis præcepto ſtatim fieri, parte non tantum non aſſentiente, ſed etiam non vocatâ. *Peck. d. tract. c. 45. n. 21.* Quæ enim per judicem injuſte & de facto proceſſerunt, poſſunt etiam de facto absque partis citatione revocari. *Gail. 2. obſ. 76. n. 12.* Et ſicut facilis fuit in perperam concedendo, ita quoque facilis eſſe debet juſtè revocando, *l. 1. §. 1. ff. ſimul. ventr. nom.* cum illicita, & quæ de facto fiunt, nulla juſta exceptione defendantur. *l. 1. §. 3. ff. Quod vi aut clam.* meliusque ſit maturè revocare, quàm remorando juſtitiam in pœnam ſumtusque arreſti iniqui tandem incurrere: in quo judex & ſibi & parti conſulere tenetur. *vid. conſt. 1. Elect. 2. p. 1.* ubi ſub formâ Proceſſ. Saxon. clauſula caſſatoria habetur in verb. und wo dieſe Form von einem Arreſtanten überſchritten/ſo ſoll der geſuchte Kummer nichtig ſeyn. Sub ampl. ut Arreſtum indebite & injurioſè factum, ne quidem ex juſtâ ſuperveniente causâ poſſit amplius conformari: quia omiſſio formæ ſpecificæ reddat actum ipſo jure nullum, quod verò ab initio eſt vitioſum, illud tractu temporis non poteſt reconvaleſcere *l. 29. de R. J. ad d. arg. ex l. 1. §. 5. verſ. Proinde ſi ob falſum creditum ff. Ne vis fiat ei, qui in poſſeſſ. miſſ. eſt.*

§. 3. Prætereà Arreſtum relaxatur ceſſione bonorum, quæ eò collimat, ut debitori ceſſione omnium bonorum declinare liceat ea, quæ ad meram ipſius afflictionem corporisque moleſtias tendunt *l. 1. l. fin. C. Qui bon. & Nov. 135. in pr. & c. 1.*

Id

Id verò requirit antè relaxationem, ut probetur à debitore, nihil obſtare, quò minus ille ad lamentabile illud beneficium admittatur, ſtatimque ſe iis, quæ ad ceſſionem bonorum Jus vel conſvetudo loci, ubi degit, requirit ſatisfacturum. Quod tamen licet ſe præſtiturum debitor affe-rat, vel juret, haud tamen relaxari debet Arreſtum, niſi auditô deſuper creditore, an quid habeat, quod opponat ceſſioni, ad quam provocat debitor. Nam quò pluribus malitioſorum debitorum fraudibus tegumentum præbere ſolet ceſſio, eò tardius attentiusve ad eam permittendam conſentiet judex, meliusque eſt Creditorem audire, cui fortè notiores eſſe queunt quæſitæ aut quærendæ ambages. Singulis creditorum ex rationis ſimilitudine permittendum eſt, quod omnibus excitato concurſu licet, ut contra ceſſionem intimatam exceptiones, cur ad illam debitor admittendus non ſit, ablegare queant. Interim dum litigatur, an ceſſionis beneficiô gaudere debeat, nec ne? in carcere vel arreſtô remanere vel detineri debet; ſi verò ventilatâ causâ appareat, ad ceſſionem eum admittendum, etiam invitô creditore relaxabit arreſtum judex, ubi omnia ita comparata fuerit, ut poſt ceſſionem ultra debiti cauſam nihil irrogari pœnam, vel in eâ terra conſuetum ſit. Nam ubi iſta ab actione non liberat, nec ab arreſto liberum faciet. Jure Saxoinico autem id non eſſe adeò expeditum, ait *Col. d. tract. p. 1. c. 7. n. 18.* Namque licet hic omnibus bonis cedere vellet, nihilominus in carcere, multò magis in arreſto remanere debet. *Zang. de Except. p. 2. c. 15. n. 15.* cum ejus virtute exclusâ ceſſione bonorum ad inſtantiam creditoris, ſi ſolvere reus nequeat, carcer aut adjudicatio ad manus creditoris decerni ſolet, à quâ cùm non eximitur cedendô bonis, utique nec evitabit arreſtum, quod longè mitius malum eſt. Hæc verò ad arreſta perſonarum pertinent. Rebus arreſtatis ſubſecuta arreſtum ceſſio, nihil proficit, ſed ubi debitum liquidum fuerit, rerum fit adjudicatio, tanquam quæ à debitore in ſolutum ceſſæ vel derelictæ ſint. Etſi enim ceſſio ſemel facta, urgente uno creditore, cæteris creditoribus præjudicat & prodeſt *l. 4. ibid.*

 gl. &

gl. & Dd.ff.deceſſ.bon. (*vid.caſualiter in praced. cap. 3. §.3.*) arreſtum tamen non tollit, & ſi alii creditores iſti non adhærent, qui ceſſione nondum declaratâ vigilavit, hoc diligentiæ præmium meritò habet, ut ex re arreſtatâ ſolutionem præ aliis obtineat.

§. 4. Tandem etiam cautione relaxari poteſt Arreſtum, quæ debet eſſe idonea, plena & ſufficiens, ideoque non alia niſi fidejuſſoria aut pignoratitia admittenda *Col. d. tract. p. 3. c. 1. n. 95. & ſeq. Peck. c. 45. n. 8. Gail. 2. obſerv. 44. num. 10.* Hodiè namque per Germaniæ conſuetudinem rigor iſte Prætoriarum ſatisdationum, ut non niſi datis fidejuſſoribus fiant, ſublatus eſt, & perinde eſt, cùm ſufficientibus pignoribus cavetur, modo ad illum finem, in quem cavetur, omnia ſecura ſint, qui eſt cautionis finis *Novell. 96. c. 1. Novell. 112. c. 2.* Quô obtentô, nihil refert, quomodo caveatur, *Menoch. de arbitr. judic. cent. 2. l. 2. caſ. 142. num. 1.* Æquè idonea habetur, quæ pignore, quàm quæ fidejuſſoribus fit. *l. 4. §. 8. de Fideicomm. Libert. l. 7. §. 1. l. 15. ff. qui ſatisd. cog.* modò ſatis idonei reperiantur, quos ex quatuor notis dijudicandos, cum *M*[illegible]*d. tract. c. 25. num 75. & ſequ.* ſtatuo. Primò ex opum q[illegible]te, ut tantum habeat, quantum qualitatem debiti, quod petitur, uſurarum item & litis ſumtuum æquare videatur: qui tantum in immobilibus vel mobilibus non habet, pro idoneo fidejuſſore habendus non eſt *l. 41. ff. de Petit. hæred. l. 3. §. ult. ff. ut in poſſ. Legat. l. 3. ff. de fidejuſſ.* Sicut & illi, qui bona habent, ſed multô ære alienô onerata, quæ pro bonis non habentur *Peck. d. cap. 45. n. 12.* Nam licet integræ famæ & exiſtimationis ſint, cùm tamen deeſt, quod ad indemnem ſervandam relaxationem requiritur, pecunia nempe mediocris cauſæ ſuffectura nihil proficit, ut admittantur, ſicut prolixius comprobat hoc *Hering. in tract. de fidejuſſ. c. 8. n. 60. & ſequ.* Secundo ad qualitatem fidejuſſoris idonei requiritur ut in eo loco, ubi fidem interponere debet, pro alio incola vel civis ſit jurisdictioni judicis arreſtantis ſuppoſitus, & ſub eodem tot vol talia immobilia vel mobilia poſſidens, quæ valori cauſæ reſpondent. Qui non

ſunt

ſunt de iſto foro, nec ibi poſſeſſiones habent, pro idoneis fidejuſſoribus non habentur *l. 1. ibique Gloſſ. & Dd. ſi quis in jus voc. non iver. Peck. d. c. 45. num. 12. & 15.* ubi uſu & moribus hæc adprobata dicit. Idem in Camerâ Imperiali obſervatur, ut Cautio exigatur per poſſeſſionatos Imperii ſubditos. Tertiò in fidejuſſore ſpectanda conveniendi facilitas *l. 2. in pr. l. 7. pr. ff. qui ſatiſd. cog. l. 3. de fidejuſſ.* Qui facilè conveniri nequeunt, pro idoneis fidejuſſoribus non habentur, nec invitis obtruduntur, quales ſunt viri nobiles & potentes, contra quos proceſſus & executio admodum difficilis *Gail. 2. obſerv. 27. n. 25.* magiſtratus, judices, conſiliarii curiæ, advocati & procuratores, clerici & ſimiles. *Peck. d. c. 45. num. 12.* Quartò non habetur pro idoneo fidejuſſore, niſi qui præter facultates eſt etiam vitæ & famæ honeſtæ, non levis nec perfidus, nec infamis, nec uſurarius *Peck. d. n. 12.* Secundùm hæc requiſita examinabit tùm judex, tùm creditor eos, qui ad ſatisdandum offeruntur.

§. 5. Juratoria verò cautio ad relaxationem Arreſti regulariter non ſufficit, eò quòd ſit fragilis, & parùm vel nihil ſecuritatis in ſe habeat, cùm facilè poſſit eludi, v. g. iniquô debitoris fugitivi factô: aſt malitiis non eſt indulgendum juxta vulgatam *l. 38. in fin. ff. de R. V. Peck. d. cap. 45. n. 8. Gail. de Arreſt. Imp. c. 3. n. 10. Coler. dict. tract. p. 3. c. 11. n. 94.* Sed, ſi arreſtatus eſt, locô, aliàs verò extra territorium, ubi detinetur, bona habeat, & ad juratoriam cautionem ſe admitti petat, an tunc audiendus ſit? & hunc communis Dd. opinio ad juratoriam cautionem admittit *Peck. d. cap. 45. n. 10. Hering. d. tr. c. 8. n. 107. Mynſ. cent. 2. obſerv. 11. Gail. 1. obſerv. 48. n. 6.* Qui omnes de Praxi Cameræ Imperialis aliorumque judiciorum teſtantur. Et generaliter exiſtimatur, quod, ubi lex vel ſtatutum requirit cautionem fidejuſſoriam, tum ſi perſona egregia ſit, & probatæ vitæ, nec tamen fidejuſſores aut pignora reperiat, juratoria in ſubſidium admittitur. Pro majori tamen cautione & illud obſervandum, ut, qui ex juramento relaxationem impetrat, ſimul etiam bona ſua, quæ in

 loco

loco domicilii habet, oppignoret, quod ad creditoris ſecuritatem maximopere pertinet, *Col. de tract. p. 3. c. 11. n. 102.* Sub calcem Diſſertationis meæ noverit benevolus L. æquus ille rerum æſtimator, in hoc ævo ob rationis humanæ corruptionem nullum opus omni ex parte perfectum abſolutumve dari, tumve dari, meque etiam eorum adſcribendum catalogo eſſe, qui errare non ſolum, ſed & eorum, qui corrigi poſſunt. Hoc igitur amicè peto, ut monſtratis erroribus, utiliora ſubſtituantur, & veriora monſtrentur, modò id fiat modeſte & candide. Nec aliter faciunt candida & erecta ingenia.

TANTUM!

Πάρεργα ſuperpondii loco adjecta.

SOla neceſſitas publica efficit, ut Princeps Jus in bona habeat ſubditorum, non verò ſupereminens Dominium.

II. Etiam hoſti & latroni fides data eſt ſervanda.

III. Suſpendii pœna furibus ſtatuta eſt juſtiſſima.

IV. Minor poteſt eſſe Procurator ad litem.

V. Legitimati per ſubſequens matrimonium utique in feudis ſuccedunt.

VI. Ex pacto nudo non datur Jure Canonico Actio.

VII. Improbatur Conſuetudo, ut, qui Parochiam ambit, Anteceſſoris ſui relictam viduam vel filiam accipiat.

VIII. Dantur Caſus pro Amico.

IX. Non eſt ἄτοπον dicere, quod etiam in Electorali Tutelâ Teſtamentaria ſit aliquando locus.

X. Jus primogenituræ pertinet ad filium ante dignitatem Patris natum.

XI. Pœnalis divorum Principum conſtituit. in l. 5. C. ad L. Juliam Maj. non eſt irrationabilis.

XII. Minor etiam contra alienationem prædii ſub decreto judicis factam poteſt reſtitui.

XIII. Mulierem eſſe hominem, nemo niſi Domitius dubitat.

XIV. Jus juri derogat, & Novella Novellam recantat.

Scitè

SCitè Arreſtorum proponis Jura ſevera;
Nominibus noſtris hâc ope conſulitur.
Pergito, ſic fies æquique bonique ſacerdos,
Conferet ipſa Tibi præmia digna Themis!

Eximio Dn. Reſpondenti erudita Diſſertatio-nis Autori gratulatur

PRÆSES.

TE, SEIFARTE, juvat nunc impalleſcere chartis
Et juvat immenſos Themidis luſtrare receſſus,
Publica dum rurſus *felici pulpita niſu*
Illuſtri STRUVIO, Patrono, Præſide ſcandens
ARRESTI naturam mentis acumine tradis.
Omen habent ac augurium conamina, Amice:
Arreſtô *Muſas te captivaſſe probatum*
Das cunctis. *Ex* arreſto *reſtent tibi laudes*
Doctorum favor & condigna brabeja precamur

Commenſales Commenſali ad

Menſam Lipachianam.

Göttin der Rechte, Du Stüzze der Erden/
Tochter des Himmels/ die Ewig beſtehe;
Reineſte Themis/ die ſind und noch werden
Keiner auff Erden dich würdigſt erhöht:
Selbſt der Olympus verlanget nach dir/
Drohet dich nieder zunehmen von hier.
Schaue doch Göttin/ beäugle die Gaben/
Welche Mein Ander Ich opfert vor dir/
Welcher nur deine Bekantſchafft zu haben
Sich müht und glühet mit heiſſer Begier:
Daß Er von deiner gepreiſeten Hand/
Halte/ behalte verlangendes Pfand.

Köſt-

Köſtlichers hätteſt Du nicht können erfinden/
Deinen erheblichen löblichen Preiß
Allen/Mein Seyffart/zu zeigen mit Gründen
Was mit Arreſte belegen man heiß:
Billich und willig beehrt man Dich nu/
Nechſt vielen andern Ich ruffe Glück zu!
Lebe und ſchwebe in rühmlichen Ehren/
Die Dir Apollo verheiſſet zu Lohn/
Weil Du hier Weißheit und Kunſt zu vermehren
Schweiß und Fleiß weiſeſt den Neidern zum Hohn:
Denn Du mit Leſen bey Tag und bey Nacht/
Haſt dein Studieren zu führen gedacht.
Freund dein Ausbündiger Name der zeiget/
Daß Du zu richten und ſchlichten bereit;
Als Ich diß hörei erſt/ wurd' Ich erfreuet/
Mehr aber/als Ich Dir kahme zur Seit.
Wer Uns recht kennet/bekennet auch frey
Daß in uns Zweyen ein Wille ſtets ſey.
Künfftig der Himmel laß über Dir ſchweben/
Glücke/Geſundheit und völlige Freud;
Eltern und Freunde viel Ruhmes erleben/
Alles/ was ſchädlich iſt / weiche beyſeit:
Eile/ nicht weile / bald reiche die Fleiß
Einen hochſchäzzbaren rühmlichen Preiß!

Seinem Lieb-werth-geehrten Hn. Stubengeſellen ſolte und wolte mit dieſen wenigen Glückwünſchend auch ins künfftige abweſend zu gegen ſeyn

Nicolaus Francke / von Hardisleben/aus Thüringen Philol. Cult. veteran. annoch in Jena.

MAturat doctum *pietas, ſolertia partum:*
Expertus pergas. Vive: Secunda precor.

Joh. Heinr. Mäuſemann/ J.U.S. Gothan.Thur.

F I N I S.

VA4U523476